

Contenta.


1. Georgij Calixtj Commentarj in quatuor priorum capitulum Geneseos expositio literalis. 2. Historia Iosephj sive XII posteriorum capitulum Geneseos expositio literalis. 3. Exodij XX priorum capitulum expositio literalis. 4. Lex Dei Mosaiica, in classes iuxta Decalogum digesta et una cum Ceremonialibus atq; Judicialibus, eo persidentibus Legibus exposita. 5. In Prophetas Proemium. 6. Expositio Oraculi de 70 Hebdomatibus, Danielis. 7. de Usuris & Nylis.
2. Georgij Calixtj Concordia quatuor Evangelicorum scriptura et locorum etc. Explicatio.
3. Georgij Calixtj Historia Magorum, i cap. 2 Matthaei.
4. In Acta Apostolorum expositio literalis.
5. In Epistolam S. Pauli ad Romanos.
6. In Epistolam S. Pauli ad Corinthios priorem et posteriorem.
7. In Epistolam S. Pauli ad Galatas.
8. In Epistolam S. Pauli ad Ephesios.
9. In Ep. S. P. ad Colosenses.
10. In Ep. S. P. ad Thessalonicenses priorem.
11. In Ep. S. P. ad Philippenses.
12. In Ep. S. P. ad Titum.

Sammelband

26366.

2
2





5.
GEORGII CALIXTI
S, THEOL. D. ET IN ACAD.
IVLIA PRIMARII PROF.

IN
ACTA APO-
STOLORVM.

EXPOSITIO LITTERALIS,
Quomodo illa olim, quum publice
proponeretur, excipi potuit.


NVNC PRIMVM EDITA.



BRVNSVIGAE,

Typis & sumptibus ANDREAE DVNCKERI.

ANNO M. DC. LIV.



IN
ACTA APOSTO-
LORVM.

EXPOSITIO LITTERALIS.

PRIMVM CAPVT.



PRIMVM QUIDEM, in-
quit, LIBRVM (ita etiam Cicero
Xenophontis λόγον οἰκονομικόν librum
œconomicum interpretatur) CON-
FECI DE OMNIBVS, QVAE
COEPIT IESVS ET FACERE
ET DOCERE. Facta itaque & dicta
sive doctrina Servatoris argumenta

v. 1.

sunt scriptorum Evangelicorum. At Iohannes cap. ult. v. ult.

*Quæfecit Iesus, si scribantur sigillatim, ne mundum quidem opi-
nor capere posse eos, qui scriberentur, libros. Recte respondet
Chrysoftomus, Non dixit omnia, sed de omnibus, proinde ac si
quis dicat summatim & in genere; aut de omnibus, quæ necessaria
sunt, loquitur urgetque*

* VSQVE AD DIEM, QVO CVM
PRÆCEPTA DEDISSET APOSTOLIS PER SPIRITVM
SANCTVM QVOS ELEGERAT, SVRSVM RECEP-
PTVS EST.

v. 2.

Hic versiculus amphiboliam patitur; nam
δια πνεύματος ἁγίου conjungi potest vel cum præcedente ἐντε-
λάρι; & tum sensus est, à Spiritu Sancto profecta esse, quæ

A 2

Ser-

Servator Apostolis suis injunxerit, adeoque quæ illi Christo mandante docuerint, divina autoritate niti. Aut connecti potest per trajectionem cum seq. verbo ἐξελέξατο, quo sane modo accepit paraphrastes Syrus, qui hunc versiculum ita disposuit & exposuit, usque ad diem illum, quo sublatus est, postquam mandata dedisset Apostolis illis, quos elegerat per Spiritum sanctitatis. Nec male; Quum enim opera ad extra sint indivisa, constitutio ministrorum Evangelij & Christo tribuitur Eph. iv, 11. Gal. i, 1. & Spiritui Sancto Act. xx, 28. * DICENS sive verba faciens DE REGNO DEI, nempe de quo suos semper solitus fuerat docere. Nihil itaque hîc novi tradidit, sed quæ pridem de gratia Dei, remissione peccatorum & modo recuperandæ salutis, Evangelioque ubivis terrarum prædicando docuerat, eadem repetijt, suisq; in memoriam revocavit, & ubi opus erat, uberius exposuit. * NUM HOC TEMPORE RESTITVES REGNUM ISRAELI? Stulta opinio de terreno Israelis imperio per Servatorem restituendo nondum Apostolis eximi potuerat, adeo imis pectoribus infixæ erat omnibus ejus gentis hominibus, sicuti constat ex oratione matris filiorum Zebedæi Matth. xx, 21. & Cleophæ Luc. xxiv, 21. Sed hanc quæstionē, utpote curiosam & inutilem, in locum communem digrediens, abrumpit. * REVERSI SVNT HIEROSOLYMAM A MONTE OLIVETI, QUI EST PROPE HIEROSOLYMAM? DISTANS ITINERE SABBATI. Iter sabbati est spatium, quantum Judæis die sabbati salva religione per traditiones majorum suorum conficere licebat. Id autoribus Hebræis continebat bis mille cubitos. Chaldæus Paraphrastes Ruth 1, 16. *Præceptum habemus de observandis sabbatis & diebus festis, ne longius iter faciamus, quam duorum millium cubitorum.* Hæc, & in eandem sententiam

tiam

tiam Salomonem Iarchi, Davidem Kimhi, Mosen de Kotli, aliosque citat Drusius lib. 1. quæst. 29 & in præteritis. Occumenius ex Origene eadem confirmat addita & traditionis ratione. Verba ejus sunt: *Iter sabbati, duorum millium cubitorum erat, idq; potissimum, quod sanctum tabernaculum & arca tanto interstitio castrorum ordinem precedebant, & à tanto intervallo tentoria figebant, quo spatium licebat his, qui castra merati erant, ad sanctum tabernaculum accedere.* Hæc ille. Cum autem cubitus sit sesquipes, & stadium pedum sit sexcentorum, quadringenti cubiti sexcentos pedes sive stadium unum, & bis mille cubiti quinque stadia efficiunt. Totidē autem montē olivarum ab urbe abesse scribit Iosephus lib. 26. Antiquitatum cap. 6. At Syrus hunc locum interpretatus pro itinere sabbati septem stadia posuit: *Distat, inquit, ab urbe circiter septem stadijs,* verum ut ex ipso loquendi modo, quo utitur, apparet, rem non definit exacte, sed in aliqua latitudine, aut non pedem, vel radicem & initium montis, unde alias distantia sumi consueverat, intelligit; sed locum in ipso vertice montis, unde in coelos sublatus Servator fuerit. Etsi enim quocunque ex loco eadem facilitate ascendere potuit, verosimile tamen est, eum fecisse humano more, & quantum terra gradiendo licuit ascendisse, nec miraculo prius, quam opus esset & natura amplius servire non posset, usum. Porro major difficultas nascitur ex Evangelio Luc. xxiv, 50. ubi Servator discipulos suos Bethaniam usque eduxisse, atque ibi ab ipsis disjunctus in coelos ivisse dicitur. Iohannes vero cap. 11, 18. Bethaniam ab urbe abesse scribit stadijs quindecim, distantia uti patet duplo majore, quam quæ hic per iter sabbati indicatur. Responderi oportet; Bethaniam non modo unum vicum, sed spatiosum quendam montis Olivarum tractum fuisse, qui se ad plura extenderit spatia.

v. 18.

*ACQUISIVIT SIBI AGRVM (Iudas) spectato scilicet consiliorum ejus eventu, Iudas avaritia corruptus triginta illis argenteis, quibus Dominum vendiderat, suis fortunis consulere, sibi que peculium aliquod acquirere cogitabat.

v. 26.

Emptus hac ipsa, quæ sane jam ad illum spectabat, pecunia ager, sed alio quam is sperarat eventu. *IECERVNT SORTES EORVM: ET CECIDIT SORS SVPER MATHIAM. PROV. XIX, 18. *Contentiones submovet sors, & inter robustos dividit.* Significantius autem eventum sortis Domino tribuit cap. XVI, 33. *In sinum conijcitur sors, à Domino autem omne judicium ejus.* Hoc est, à Domino est eventus, & cui illa calculo suo adstipuletur. Nempe quum Iosephus & Matthias maxime, & forte ex æquo, idonei essent ad munus Apostolatus, fas erat, ut sicuti reliqui Apostoli ab ipso Domino constituti erant, ita quoque alteruter horum constitueretur, atque ita officium suum non hominibus, sed ipsi Domino, non minus ac collegæ, acceptum ferret.

SECUNDVM CAPVT.


v. 1.



ET QUVM COMPLERETUR DIES PENTECOSTES. Secundo die Azymorum, qui erat decimus sextus mensis Nisan, Iudæi falcem mittebant in messem, & primitias messis, manipulum frugum, una cum legitimo sacrificio, rerum omnium auctori offerebant. Ab eo autem die, quo primitias consecraverant, id est, *ἀπὸ δευτέρης ἑπτάχης*, (ita appellat Iosephus, lib. III. Antiq. cap. 20) jussi erant numerare septimanas septem, sive quod idem est, dies quadraginta & novem, quos qui proxime excipiebat quinquagesimus dies, insignis erat festivitate, cui non minus, qui

qui festo Paschæ & Tabernaculorum, in urbe Hierosolyma omnes Iudæi interesse ex lege tenebantur. Vide Levit xxiii. Dicebatur *Festum Messis*, quod eo messis in Palæstina clauderetur: & *Festum septimanarum*, à septem septimanis, quæ messi destinatæ, inter ipsum & δευτέραν ἑβδομάδα, unde initium numerandi factum esse diximus, mediæ intererant. Competebat autem in sextum mensis Siphar. (*Junij*) Nam à decimo sexto Nisan, ad sextum Siphar est ἡμέρα πεντηκοστή ἀπὸ δευτέρας ἑβδομάδας, dies quinquagesimus à postridie Paschatis. Hinc itaque Lucas: *Quum compleretur dies Pentecostes*. Syrus quidem, Arabs, & vetus Latinus Interpres per plurale reddiderunt: *Quum complerentur dies Pentecostes*. Nam totum interval- lum ab altero Paschæ usque ad hunc diem, Iudæis, qui Hel- lenismo adsueverant, πεντηκοστή dicebatur. In nostro autem recepto Græco textu Hebraismus est. Ita enim loquuntur Hebræi, quum agitur de certo præscripti temporis spatio, cujus ultimus terminus, sive annus, sive dies advenerit; & ad eundem modum idem Lucas in Evangelio, cap. ii, 21. *Et postquam completi sunt dies octo*, id est, quum advenisset ul- timus dierum octo, sive ipse dies octavus. ERANT OMNES EODEM LOCI. Num omnes centum & viginti, quorum mentio superiori capite vers. 15. An omnes apostoli? Hoc posterius magis probo: Eos enim, tanquam duodecim no- væ Ecclesiæ Patriarchas, ab ipso Domino immediatè conse- crari, & Spiritu S. initiari oportebat; cæteros vero per eorū ministerium. Quin hoc convenit cum postremis verbis ca- pitis superioris; & Beza testatur, in duobus vetustis codici- bus additum fuisse οἱ ἀπόστολοι. * LINGVAE INSTAR IG- NIS, ET SEDIT SVPER VNVMQVEMQVE EORVM. Iste videlicet ignis, qui specie dispertitarum linguarum ad- parens symbolum fuit advenientis Spiritus S. Nam etiam hîc,

v.3.

hîc, ut conueniens erat hominibus, quibus cum agebat, sensibile quoddam intervenire voluit Dominus, ut magis excitaret, & stuporem excuteret. Linguæ vero significabant, rem totam peragendam sermone & doctrina: Dissectæ autem siue dispersitæ linguæ, quòd diuersis Idiomatibus per diuersas gentes doctrina spargenda: Igneæ denique linguæ vim & efficaciam Spiritus doctrinæ ad futuram denotabant. Porro sicut variæ linguæ architectos turris Babylonicæ in varias orbis partes disjiciebant; ita nunc è contrario varia idiomata unam Christo Ecclesiam è varijs orbis partibus colligunt, * PARTHI, ET MEDI, ET ELAMITAE, ET QVI INCOLIMVS MESOPOTAMIAM, Elamitas his, quos inter recensentur, conterminos & vicinos esse adparet. Solent accipi pro Persis; idque maxime probabiliter, Adversus eos est Prophetia Ieremiæ XLIX, 35, & seqq. Sane aut Persæ sunt, aut Persis ita contermini & commisti, ut pro his accipiantur. Plinio autem populi sunt Arabiæ felicis, accolentes mare, libr. VI. cap. 28. * IVDAEI ET PROSELYTI, Exod. XXII, 21. *עגשׂלוי* , apud LXX. pro quo vis advena ponitur, Hîc autem, ut & Matth. XXIII, 15, significatione magis recepta Proselyti sunt, quos Hebræi alias *כֶּרֶסֶדֶק* *Cheresedeck*, id est, Advenas justitiæ appellant, quales non religione, sed genere tantum à Iudæis distinguebantur, nempe, qui à gentibus ad fidem & consortium sacrorum populi Iudaici transiverant. * PROPHETABVNT FILII VESTRI ET FILIÆ VESTRÆ. Non hæc præcise de prædictione futurorum accipienda sunt, quamquam nec hoc ipsum vaticinandi donum Apostolis & Ecclesiæ primæ defuit: sed multo magis de insigni & excellenti mysteriorum cognitione ac facultate ea exponendi, scripturasque interpretandi, uti accipitur Prophetia I. Corinth. XIV. Quasi dicat, sub regno Christi

v. 9.

v. 11.

v. 17.

Christi omnes ad Prophetica[m] usque excellentiam spiritua-
 li sapientia & arcanorum divinorum cognitione donandos
 esse. In quem etiam sensum apud Ieremiam xxxi, 34. legitur:
*Non docebit quisquam proximum suum amplius, quia omnes me
 cognoscent, à minimo usque ad maximum.* Significatur enim
 his verbis, singularis & efficax quædam Spiritus S. operatio,
 per quam omnes eximia Dei & divinæ voluntatis notitia in-
 struendi. * ET IUVENES VESTRI VISIONES VIDE-
 BVNT, ET SENIORES VESTRI SOMNIA SOMNIA-
 BVNT. Vidit quidem Iohannes Apocalypsin, & Petrus vi-
 sionem Act. x. Paulo noctu adstitit Angelus Dei, eumque
 allocutus est Act. xxvi, 23. quod tamen ego somnium dicere
 non ausim, Sed hæc verba ita nude accipienda non existimo.
 Prophetæ enim stylum attemperare consueverunt captui
 suorum temporum, & cum de regno Christi loquuntur, ad
 ea quæ in Veteri Testamento recepta erant populoque fa-
 miliaria, alludere. Ita quum loquuntur de cultu Dei sub
 Novo Testamento nominant altaria, sacrificia auri, argen-
 ti, thuris, oblationis, atque ita rem totam locutionibus
 sui seculi congruentibus adumbrant, licet oblationes & sa-
 crificia proprie ita dicta penitus cessare oporteret. Eadem
 ratione visiones & somnia Ioël nominat, quod plerumque
 alterutro modo sese in Veteri Testamento Deus revelarit
 Num. xii, 6. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, visione ap-
 parebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* * ET EDAM V. 19, & 20
 PRODIGIA IN COELO SVRSVM &c. PRIVSQVAM
 VENIAT DIES ILLE DOMINI MAGNVS ET IL-
 LVSTRIS. Dies Domini magnus de die extremi iudicij ac-
 cipi debet. Signa enim & prodigia quæ futura prænuncian-
 tur, conveniunt cum illis, quæ Servator Matth. xxiv, 29. ex-
 tremam diem prægressura esse docuit. Sed quomodo hæc

B

cum

cum præcedentibus cohærent, & quomodo Petrus, quum retulisset quæ ad rem præsentem pertinebant, nunc conne-
 cit, quæ non ad hoc tempus, sed ad futurum pertinent judi-
 cium, quod tamen aberat quam longissime? Respondeo:
 Dixerat Propheta & ex eo Apostolus de doctrina Christi, &
 adventu Spiritus Sancti; continuo subjungit signa extremi
 judicij, ut innuat, nullam aliam legem, doctrinam aut reve-
 lationem post hanc esse expectandam, sed quæ nunc divini-
 tus proponantur, ab omnibus qui salvi esse velint, recipien-
 da. Nihil enim aliud, quod quidem peculiari quadam & in-
 solita ratione à Deo peragatur, restare, quam judicium ma-
 gnum & formidabile, quo judicentur omnes, qui non rece-
 perint. **FVTVRVM AVTEM VT** hujus judicij seve-
 ritatem **EFFUGIANT, QUI INVOCAVERINT NO-**
MEN DOMINI, id est, qui recipientes doctrinam quam
 modo Spiritus Sanctus proponat, Deum recte coluerint, fi-
 de videlicet in Christum efficace per charitatem. Invocatio
 enim Dei pro toto Dei cultu, quod ejus magna & notabilis
 pars sit, ponitur Gen. xii, 8. Ps. xcix, 6. I. Pet. I, 7. Sed & illa
 verba: *Sanguinem & ignem, & vaporem fumi, sol convertetur*
in tenebras, & luna in sanguinem, non exponenda sunt secundum
 simplicem sonum, sed more prophetico figuratam continent
 periphrasin atrocium signorum iræ divinæ; nempe hoc sibi
 volunt, quocumque homines oculos verterint, sursum &
 deorsum apparitura esse plurima, quæ illis extremum incu-
 tiant terrorem. * **HVNC IESVM DEFINITO CONSI-**
LIO ET PRAESCIENTIA DEI DEDITVM QVVM
ACCEPISSETIS MANIBVS SCELERATORVM, CRV-
CI AFFIXVM INTEREMISTIS, nempe hoc erat Dei con-
 silium, ut morte Christi redimeretur genus humanum, præ-
 scientia autem sua omnia non modo dicta & facta homi-
 num.

V. 21.

V. 23.

num, sed cogitata etiam & meditationes animi ab æterno comprehendit. Hac igitur cum cognovisset Iudæos ad occidendum Dominum promptos & paratos fore, statuit permittere, ut quod illi in animo habebant, & ad quod perpetrandum sua sponte satis proclives erant, neque ulla divina suggestionem aut inspirationem indigebant, exequerentur, atque ita ipse illorum opera ad sui ipsius consilij executionem uteretur. Operam istam sane pessimam non voluit, neque ordinavit ut præstaretur, neque præstitam vel præstandam approbavit, sed præcognitam permisit & secundum se atque ex consilio facientium tendentem ad nullum bonum finem duxit ad finem optimum, salutem videlicet generis humani. Pro sua enim immensa sapientia ex pessimis novit elicere optima. Quia igitur mala facinora prævisa permittit & in bonum finem ordinat, ideo hæc ipsa in scripturis nunquam illi tribuuntur. Ita de sua venditione & in Aegyptum deportatione Iosephus: *Et nunc non vos misistis me huc sed Deus.* Gen. XLV, 8. videlicet quia (ut loquitur Gen. I, 20.) *vos cogitastis de me mala, sed Deus vertit illud in bonum.* Nempe pii agnoscunt Dei providentiam, qua omnibus humanis actionibus suos terminos ponit & limites præfinit, easque utut pessimas dirigit in nominis sui gloriam, suorumque fidelium salutem. Quicquid itaque piis ab impijs & diabolo adversi evenit, malunt ipsi in Deum ejusque providentiam referre, quam impijs & diabolo adscribere, licet quod in impiorum actionibus, quibus pii affliguntur, criminis est, totum ab ipsis est & non à Deo. Quia tamen à Deo permittuntur & diriguntur, ideo, inquam, Deum primario respicimus & cum Davide dicimus: *Dominus praecepit Semei, ut malediceret Davidi.* II. Sam. XVI, 10. Eadem ratione exponendum, quod est infra cap. IV, 27. *Congregati sunt adversus filium tuum Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis*

*Israelis, ut facerent, quaecunque manus tua & consilium tuum
præfiniuit fieri, nempe consilio suo decrevit & præfiniuit
Deus Filium suum ab illis affligi, quia cum illos ad affligen-
dum paratos & reapse, nisi prohiberentur, afflictuos esse,
præuidisset, non voluit prohibere, sed decrevit permittere
ut fieret, eorumque malitia bene uti. Præfiniuit itaque fieri,
quia permisit fieri, siue potius, quia præfiniuit permittere ut
fieret, (quod enim in tempore permittit, ab æterno permit-
tere statuit) & quia in bonum finem, quod fieri permittebat,
v. 24. ordinavit. * SOLVTIS DOLORIBVS MORTIS, id est,
superata morte, quæ ingentes cruciatus & dolores attulerat.
Alioquin mors cruciatuum finis est, & obita jam morte do-
lores nulli, sentiuntur. Dicuntur itaque soluti esse dolores
mortis, non quod Salvator jam mortuus dolores aliquos
fenserit, sed quia solvebatur mors, quam cum maximis do-
loribus subierat, siue quam maximi dolores intulerant.
v. 36. * DEVS HVNC, QVEM CRVCIFIXISTIS, FECIT DO-
MINVM ET CHRISTVM, nempe de illo ut de homine
loquitur, & quidē ut de homine, quem Iudæi crucifixerant.
Huic exinanitioni opponit exaltationem à Deo factam. Lo-
cus itaq; Arianis nō patrocinator: neq; enim de essentia agit,
sed de dignitate, non dicit simpliciter hunc Deus fecit, sed
hunc fecit Dominum, hoc est, hunc Dominum constituit ac
declaravit. Et agit de dignitate, ad quam euectus est secundū
carnem, quatenus videlicet mortuus ac sepultus resurrexit.
Nam tota hac concione Petrus captui auditorum se accom-
modans de Christo ut homine siue ut secundum carnem
v. 38. mortuo & sepulto loquitur. * BAPTIZETVR VNVS-
QVISQVE VESTRVM IN NOMINE IESV CHRISTI,
id est, vel mandato & autoritate Christi, vel eo fine, ut Christo in-
feratur ac meritorum eius eonsors & particeps reddatur. Non
igitur formula Baptismi indicatur, sed potius finis & scopus.*

TERTIVM

TERTIVM CAPVT.



AD HORAM PRECATIONIS
 NONAM. Ex Hebræorum scriptis annotant
 tres fuisse horas precationis : Tertiam desti-
 natam precationi matutinæ, sextam meridia-
 næ, & nonam vespertinæ, quando offereba-
 tur sacrificium vespertinum. Sane Apostoli
 omnes erant concorditer eodē loci *hora diei tertia* Act. 11, 15.
Petrus adscendit in cœnaculum, ut oraret circa horam sextam.
 Act. x, 9. Et hic Petrus & Iohannes simul adscendunt in tem-
 plum sub horam precationis nonam. * **CLAVDVS ILLE**
QVI SANATVS FVERAT, TENEBAT PETRVM ET
IOHANNEM, hoc est, non dimittebat, sed individuus co-
 mes illis adhærebat, ita ut â latere eorum non abscederet, siue
 affectu erga eos à quibus restitutus fuerat, siue forte veritus,
 ne ubi eos ex oculis amisisset, iterum claudus fieret.
 * **QVEM OPORTET QVIDEM COELVM SVSCIPERE**
VSQVE AD TEMPORA RESTITVTIONIS OMNIVM.
 Est sane in Græcis constructio ambigua, verba tamen ambi-
 gua non sunt. Constructio quidem permittit, ut utroque
 modo accipias, siue cœlum suscepisse Christum, siue contra
 ut de Christo tanquam subjecto prædicetur, quod ipse susce-
 perit siue occupaverit cœlum. Hoc quidem, inquam, patitur
 constructio, sed *τὸ δέξασθαι* vix reperitur apud ullum scripto-
 rem Græcum eo sensu, ut idem sit, quod occupare. Quod
 si id probari posset, nempe non refragari genuinam signifi-
 cationem vocis, tum acceptio foret ambigua. Interim al-
 ter ille sensus, secundum quem cœlum suscepit Christum,
 & convenit articulo adscensionis, neque quicquam prorsus
 habet incommodi. Quando enim Christus adscendit, utri-

v. l.

v. ii.

v. 26.

que cœlum eum suscepit, atque adeo in cœlo est, in cœlo, inquam, *in quo Deus est & habitat* Psal. cxiv, 3. cxxiii, 1. Matth. v, 16; *in quo angeli sunt* Matth. iix, 10. xxii, 3. in quo nostrum etiam *πολιτευμα* & domicilium aliquando erit II Corinth. v, 1. Phil. iii, 20. Inde Augustinus lib. de fide & symbolo cap. 6. *Vbi, inquit, & quomodo sit in cœlo corpus dominicum, curiosissimum & superuacaneum est querere, tantummodo in cœlo esse credendum est.* Hinc tamen efficere non poterunt Calviniani quod volunt, nempe ita cœlum suscepisse Christum, atque ita Christum in cœlo esse, ut nequeat extra cœlum in terris se præsentem exhibere, ubi velit & quando velit. Concedimus nos, cœlum suscepisse Christum, & Christum in cœlo esse atque manere, neque id deserturum usque ad tempora restitutionis omnium, sed negamus hinc sequi, quod propterea alibi, ubi velit, esse nequeat: sua enim ipsius immensa & infinita potentia corpus sive carnem (de hujus enim præsentia agitur) sistit ac exhibet etiam extra cœlum, ubicunque vult, ut ita & simul in cœlo sit, & alibi secundum suum ipsius verbum ac promissionem. Neque enim hoc vim infinitæ potentæ Servatoris nostri superat aut excedit, ut unum corpus in pluribus ubi præsens esse faciat, Posset id præstare circa quodvis corpus, quanto magis quod attinet suum ipsius corpus sibi personaliter unitum? *Vidit Stephanus intentis in cœlum oculis gloriam Dei, & Jesum stantem ad dexteram Dei, Act. vii, 56.* Gloria Dei videtur, ubicunque se Deus illustri aliquo indicio manifestat. Simul autem Servator noster à Stephano visus est. Ergo in ea distantia, qua videri posset. Nec igitur à Stephano absens fuit, nec cœlum dereliquit. Visus autem est stans ad dexteram Dei, hoc est, fulgens gloria & maiestate, suamque præ se ferens dignitatem & potentiam; Nam ob hanc rationem, quia videlicet glo.

gloriosus videbitur, dicitur videndus esse etiam ab impijs sedens ad dexteram potentiae Dei. Matth. xxvi, 64. Sed & idem Dominus noster, postquam adscendisset in coelos, à Paulo in via Damascena visus est, quod licet in ipsa narratione rei gestae non exponatur, adserit tamen Ananias Actor. ix, 17. & Barnabas vers. 27. Quin ipse Paulus Ananiae verba recitans dixisse illum ait: *Deus Patrum nostrorum designavit te, qui videres justum illum, & audires vocem ex ore ejus*, Actor. xxii, 14. Vidit eum & audivit eum. Ergo in ea distantia abfuit, qua videri & audiri posset. Eodem respicit, quum probaturus Apostolarum suum, *Nonne*, ait, *Christum Dominum nostrum vidi*, I. Corinth. ix, 1. Item enumerans oculatos resurrectionis testes, quum dixisset visum Dominum Cephæ, & post Duodecim, & quingentis fratribus, inde Iacobo, inde Apostolis omnibus, addit: *novissime autem omnium tamquam abortivo visus etiam est mihi*, I. Corinth. xv, 18. Visus est itaque in corpore, & corporeis oculis, sicut Cephæ, Iacobo & cæteris. Nam alias Paulus idoneus resurrectionis testis non fuisset. Ad hoc autem adparuerat illi, ut testis esset eorum, quæ vidisset, Actor. xxvi, 16. Ex ijs omnibus colligitur, Christum carne sive corpore suo à Paulo procul non abfuisse: Neque enim Paulus in via Damascena jacens, oculis & auribus suis ultra coelos æthereos usq; ad coelum, quod sedes est gloriæ Dei, penetrare potuit. Quin apparitionem in aëre terris vicino factam, satis testatur lux illa, quæ & oculos Pauli perstrinxit, & comites ejus perfudit. Non tamen, quia carne sua in terris prope Paulum præsens adfuit, propterea in coelo non fuit, aut coelum deseruit. Nam, uti diximus, nihil impedit, quo minus omnipotentia divina multiplicetur accidens præsentiae, non multiplicato corpore, quod est istius accidentis subjectum, eoq; reapse & natura prius, ac ab eo diversum, ita ut etiam per eandem potentiam sine eo conservari possit.

QVAR-

QUARTVM CAPVT.

V. 32.



NEC QVISQVAM ALIQVID
 EORVM, QVAE HABEBAT, SVVM
 ESSE DICEBAT, SED ERANT EIS
 OMNIA COMMVNIA. Ita etiam supra cap.
 II, 44. *Habebant omnia communia.* Nempe id
 erat singularis istius doni, Spiritusque sancti tam large in cre-
 dentes effusi effectum, ut caritatem suam in proximum emi-
 nenter hoc modo declararent. Accedebat quod intellige-
 rent, brevi fore, ut se jungerentur, & in diversas provincias
 dispergerentur. Visum itaque fuit egestatem fratrum, etiam
 diuenditis possessionibus, sublevare. Notandum enim est
 primo, quod non fuerit confusio quaedam, & communitas
 talis, ut quicumque vellet, ex singulorum bonis promiscue
 sumeret, quidquid videretur, sed ex ijs, quae ultro collata e-
 rant, *distribuebatur singulis, prout cuique opus erat*, ut dicitur
 hic vers. 35. & supra cap. II, 45; neque non intelligi potest ex
 initio capitis sexti. Non itaque sublata fuit distinctio domini-
 orum aut proprietatum, sed ex eminente caritate factum est,
 ut quisque sua bona inopiae fratrum servire vellet, & hac ex-
 traordinaria ratione, nempe diuenditis etiam possessionibus
 succurreret. Deinde notandum est, neminem ad caritatem
 hoc ipso modo exercendam, sive ad alienandum bona sua
 compulsus, aut lege aliqua adactum fuisse, ita videlicet, ut
 pro fidei & Christiano habitus non fuisset, qui bona sua di-
 vendere, & precium in commune conferre nolisset. Patet
 ex verbis Petri ad Ananiam capite sequente vers. 4. *Nonne
 si servasses manebat tibi, & venundatum in tua erat potestate?*
 Quasi dicat; Si praedium tuum retinuisses, aut si venditi pre-
 cium, priusquam id Deo, & usibus pauperum in Ecclesia con-
 secrares,

secreres, tibi servasses, nemo te ad vendendum aut offerendum compulisset, nec fidelium propterea numero exclusisset.

QVINTVM CAPVT.

Multa vero fuere Ananiae peccata, Vanitas & Ambitio, quod nulli inferior videri vellet, sed paria praestare cum optimis quibusvis, qui possessiones suas pauperibus consecrabant. Deinde Avaritia, unde sacrilegium, quia partem ex eo, quod Deo sacrum esse profitebatur, subtraxit: altera enim parte mercari voluit laudem ac opinionem pietatis; altera vero seposita, sibi metipsum prospicere, si qua necessitas incideret, quod indicium diffidentiae ejus; nisi enim divinae providentiae & benignitati diffusus esset, subsidio ad istum modum parto sibi opus esse non existimasset. Accedit Hypocrisis & obstinata mentiendi audacia. Omnium autem criminum gravissimum fuit contemptus Dei & Spiritus Sancti, cujus etiam poenam morte luit. Nempe Spiritus S. in Ecclesia praesentissimus erat, & per Apostolos efficacissime se exerebat. Consecravit autem Ananias precium venditi sui fundi Deo usibusque Ecclesiae & pauperum: Vbi autem ad rem ventum erat, partem precij intervertit, sibi que servavit, partem ad pedes Apostolorum deposuit praese ferens, quasi totum detulisset. Atque in eodem crimine uxor ejus, quae interrogata à Petro; **NVM TANTI PRÆDIVM VENDIDISSET, ETIAM, RESPONDET, TANTI.** Vterque igitur praesentiam Spiritus Sancti reveriti minime sunt, sed in animum induxerunt, eum, ut ut praesentem, praesentiamque suam magnificis operibus per Apostolos declarantem, fallere & ludificari, quasi fraudem

v. s.

C

nec

nec animadvertere nec vindicare posset. Atq; hoc est mentiri Spiritui Sancto vers. 3. hoc est, Spiritui Sancto imponere & illudere, item tentare Spiritum Sanctum v. 9. hoc est, ejus potentiam & scientiam periclitari, sibi que persuadere, quod qui illi ludos faciant, latere possint & impune sint laturi. Hunc Dei contemptum & in Spiritum Sanctum contumeliam detegi & severe vindicari è re erat nascentis Ecclesiae, ut Spiritui Sancto cujus evidenti instinctu agebantur Apostoli, ductuque & auspicijs regeretur Ecclesia, sua assereretur auctoritas. * ANTE HAEC TEMPORA EXORTVS EST THEVDAS. Iosephus lib. 20. Antiq. cap. 2. meminit Theudæ præstigiatoris cujusdam, qui magnæ hominû multitudini persuaserit, ut assumptis suis facultatibus ipsum ad Iordanem sequerentur: se enim verbo scissurum fluvium, & facilem præbiturum transitum. At Cuspium Fadum præsidem equites immisisse, qui alios interemerint, alios vivos ceperint, & ipsius Theudæ caput abscissum reportarint Hierosolymam. Ista quidem Eusebius lib. 11. hist. c. 10. ad hunc Gamalielis Theudam accommodat, sed magnopere fallitur. Nam Gamaliel Tiberio imperante de Theuda, jam ante ea tempora exorto loquitur: at Theudas ille Iosephi præside demum Cuspio Fado, qui imperante Claudio Iudææ præfuit, exortus & extinctus est. * POST HVNC EXORTVS EST IVDAS GALILAEVS TEMPORIBVS DESCRIPTIONIS, secundæ scil. factæ relegato Viennam Archelao. Prima enim fuit, cum nasceretur Servator Luc. 11. 2. regnante adhuc Herode M. sed quæ nullis motibus occasionem præbuit, quod sine exactionibus perageretur. De posteriore, illa & Iuda Galilæo quartæ apud Iudæos sectæ autore vide Iosephum lib. 18. Antiquit. cap. 1. & 2. *Cætera, inquit, cum Pharisæis consentiunt, nisi quod constantissimo libertatis amore flagent,*

v. 36.

v. 37.

grant credentes solum Deum Dominum habendum ac principem,
facilius vel exquisitissima pœnarum genera laturi, quam mortalem
aliquem appellaturi Dominum.

SEXTVM CAPVT.



R T V M E S T M V R M V R
Ελληνιστῶν ADVERSVS HEBRÆOS. Israeli-
tæ post captiuitatem Babylonicam & tempo-
ra regum Syro-Macedonum, aut in Palæsti-
na, qui Iudæi deinceps à potissimo tribu, Iu-
dæ videlicet, dicti, hoc autem loco Hebræi vocantur; aut ex-
tra Palæstinam, & vel διαπορεῖ Βαβυλῶν. Nam præter tri-
bum Iuda & Benjamin & Levitas, è reliquis tribubus pleriq;
Babylone remanserunt, ut intelligitur è Iosephi lib. II. antiq.
cap. I. & 4. vel διαπορεῖ Ἑλλήνων, qui hic Ἑλληνιστῶν vocantur, Græ-
ca Biblia in Synagogis legebant, & Græce loquebantur, sed
peculiari usi dialecto, quæ hellenistica appellari consuevit.
Inter hos & Hebræos simultates propter Biblia in Græcam
linguam conversa: Hebræi enim sacra profano isto sermone
pollui existimabant, quin propter legem Græce redditam so-
lenne jejunium die octavo Tebeth instituerunt, & ex illa, ut
putant, Alexandrinorum audacia tridui tenebras orbi uni-
verso incubuisse fabulantur. Quum autem Hellenistæ am-
plissimam Synagogam Hierosolymis haberent, quotidianæ
inter illos & reliquos contentiones, neque hæ postquam ex
utroque genere nonnulli Christo nomen dedissent, ita so-
piri potuerunt, ut non levi de causa recrudescerent, sicut pa-
tet ex hoc loco. Διαπορεῖς Ἑλλήνων mentio fit Ioh VII, 35. ejusq;
principes erant Alexandrini Iudæi. Alterius διαπορεῖς caput
est Babylon: Inde enim prodierant & porro disseminati e-

V. I.

V.9. rant Iudæi, qui in Asia degebant, ad quos ex Metropoli Babylonie priorem Epistolam scripsit Apostolus Petrus cap. ult. vers. 13. * EXORTI SVNT QUIDAM E SYNAGOGA, QVAE DICITVR LIBERTINORVM. In ampla & populosa civitate, ad quam etiam undique tanquam ad communem Academiam Iudæi confluebant, oportebat coetus discipulorum diversos & distinctos esse, sicut alicubi hodie collegia sunt. Distincti autem fuerunt, ut ex hoc loco apparet, pro varietate nationum. Libertini vero gentis aut nationis nomen non est, sed constat apud Romanos ita dictos fuisse, qui è servis liberi facti erant. Aut igitur, quod hi tanquam inferioris conditionis ab ingenuis segregati peculiarem Synagogam habuerint; aut quod à Libertino quoque Synagoga ista extructa, sicut Capernaum à centurione Synagoga extructa Luc. vii, 5. aut alia quapiam de causa (è varijs enim cognominationes desumi possunt) hoc nominis Synagoga ea obtinuit.

SEPTIMVM CAPVT.

V.2. **D**eus visus est Abrahamo, quum esset in Mesopotamia, Vre videlicet Chaldæorum. Ergo Stephanus Mesopotamiam vocat, non tantum regionem, quæ intur fluvios Tigrim & Euphratem est, sed etiam conterminam, nempe Babyloniam, cuius pars est Chaldæa. Priusquam habitaret Charris. Charræ etiam ipsæ in Mesopotamia sunt, (vide Ptolem. lib. v. Geogr. cap. 18.) nobilitatæ clade Marci Crassi & Romani exercitus. Primum itaque mandato Dei Abraham patriam suam Vre Chaldæorum profectus est Charras: ibi mortuus est Thara pater eius. Charris abiit in terram Canaan, sive Palæstinam. Quæ autem

tem hinc Stephanus Abrahamo à Deo dicta esse docet, priusquam habitaret Charris, ea, si Geneseos caput xii, inspiciamus, dicta videntur, quum jam charris habitaret, non priusquam habitaret. Sed notandum est, primam vocem capitis xii, Geneseos וַיֹּאמֶר vertendam esse, non sicut vertit Vetus interpres *Dixit autem Dominus*, sed per plusquam perfectum *Dixerat autem Dominus Abrahamo*, videlicet quum adhuc Vre in natali solo degeret. * **NEC DEDIT EI HAEREDITATEM IN EA** terra videlicet Canaan, **NE VESTIGIVM QVIDEM PEDIS.** At emit in ea agrum Hephronis, Gen. xxiii: adeoque post eum emptum habuit, in quo tanquam in suo pedem figeret. Neque vero ea Deus nobis non donat, quæ ære nostro comparamus. Sed respicit Stephanus ad modum dandi: non enim ita singulari ope quidquam ejus terræ Abrahamo subjecit, sicut postea posteris ejus: Aut respicit ad tempus, quo facta promissio, priusquam nasceretur Isaac, quumq; adhuc Sara in vivis esset, Eo enim tempore certum est, Abrahamum nihil terræ Canaan hæreditario jure possedisse. * **ERIT SEMEN TVVM INQVILINVM IN TERRA ALIENA, VBI SERVITVTI SVBIICIETVR, ET MALE ACCIPIETVR ANNIS QVADRINGENTIS.** Hæc ex Genes. xv, 13, adlegat Stephanus. Loquitur Dominus non de persona sed de semine Abrahami peregrinaturus in terra aliena. Quanquam autem Israel filius quoque Abrahami esset, peculiariter tamen dictum est: *In Isaaco vocabitur tibi semen*, Gen. xxi, 12. A nato itaque Isaaco initium supputationis est faciendum. Abraham autem natus annos Lxxv. profectus est Charris, Gen. xii, 4. Post annos xxv. nempe annum agenti centesimum natus est Isaac, Gen. xxi, 5. Isaac quum ageret annum sexagesi-

v.5.

v.6.

mum; genuit Iacobum, Gen. xxv, 26. Iacobus quando venit
 in Aegyptum annorum erat centum triginta, Gen. xlvii, 9.
 Ab ortu igitur Isaaci usque ad descensum Iacobi & familiae
 ejus in Aegyptum anni sunt cxc. His si addantur anni du-
 centi & decem, exsurget numerus annorum quadringento-
 rum. Neque vero multo diutius, quam ducentis annis in
 Aegypto Israelitae commorati sunt. Non enim hi quadrin-
 genti anni ad commorationem in Aegypto restringendi
 sunt; sed universae peregrinationi seminis Abrahami à nato
 Isaaco, usque ad exitum ex Aegypto tribuendi. Quadringen-
 tis annis in Aegypto Israelitas commoratos non esse sic de-
 monstro. Cehath avus Moysis ingressus est cum avo suo
 Iacobo in Aegyptum, Gen. xlvii, 11. Vixit autem centum
 triginta annos, Exod. vi, 18. Ex eo natus Amram, pater Mo-
 sis, vixit annos centum triginta & septem, Exod. vi, 20. Mo-
 ses ipse quum esset octoginta annorum populū ex Aegypto
 eduxit Exod. vii, 7. Hi anni collecti faciunt ter centum &
 quadraginta septem annos. Ex hac tamen summa demen-
 di erunt anni, quos vixit Cehath ante ingressum in Aegyptū;
 item quos vixit post natum Amram: ab annis autem Am-
 rami subtrahendi sunt, quos vixit post natum Moysen: alio-
 quin enim idem tempus bis computabitur. Hinc igitur ma-
 nifestum, Hebraeos multo minus quadringentis annis in Ae-
 gypto habitasse. Quadringenti itaque anni referendi sunt
 conjunctim, & ad peregrinationem seminis Abrahami, & ad
 servitutem, & ad afflictionem ejusdem; & terra aliena, non
 tantum terram Aegypti, sed terram etiam Canaan, in qua, ut
 aliena, aliquandiu Abrahamitae commorati sunt, Hebr. xi, 9.
 significat. Vt sensus sit: Semen tuum erit peregrinum, &
 serviet, & affligetur; atque tempus horum trium definietur
 quadringentis annis. Sane ut peregrinantibus usu venit, ex-
 positi

positi fuere injurijs multorum, & obnoxij dominatui Regum ac tyrannorum, hocque ipsum servitutis nomine significari potuit. Servitus autem illa proprie ita dicta, & afflictio Aegyptiaca, non fuit usque adeo multorum annorum. Quamdiu enim superfuit Ioseph, bene habuerunt & feliciter Ioseph autē post ingressum Iacobi in Aegyptum vixit annos unum & septuaginta. Nam eductus è carcere & praefectus Aegypto, annorum fuit triginta, Gen. xli, 46. Post annos novem descendit Iacob, nempe quum adhuc superessent quinque anni famis, Gen. xlv, ii. Præterierant igitur septem anni fertiles & duo steriles, hoc est, novem anni. Totā autem vita Iosephi terminatur centum & decem annis, Gen. l, 26. Ergo post descensum patris sui supervixit annos septuaginta & unum. Ex his igitur satis constat Israelitas quadringentis annis in Aegypto adflictos non esse, sed ne commoratos quidem, ut ostendimus. Porro tempus moræ Israelitarum in Aegypto colligi potest ex dicto Pauli Gal. iii, 17. *Pactionem à Deo prius ratam habitam Lex quæ post annos quadringentos & triginta exstitit, non reddit inutilem, ad abolendam promissionem.* Respicit autem pactionem & promissionem factam Abrahamo, quum adhuc esset in natali solo Vre Chaldæorum: *Benedicentur in te omnes gentes terræ,* Gen. xii, 3. Hæc enim omnium prima erat, & ab ipso Apostolo, vers. 8, adlegata fuit. Ab ea promulgata promissione usque ad latam legem, quæ tertio mense post exitum ex Aegypto lata est, Exod. xix, i. anni secundum Paulum quadringenti & triginta. Ut autem superius ostendimus, à nato Isaaco usque ad descensum in Aegyptum anni sunt centum & nonaginta; Adde annos xxv. quos vixit Abraham ab anno ætatis suæ septuagesimo quinto, quo Charris profectus est, usque ad centesimum, quo natus est Isaac, erunt anni ducenti & quindecim

cim

cim. Hi subtracti ab annis ccccxxx, residuos facient alios annos ccxv. qui cedere poterunt moræ in Aegypto. Convenit quidem hoc ipsum exacte cum Iosepho, cujus verba sunt Antiq. lib. II. cap. VI. *Reliquerunt Aegyptum mense Xantico, luna quinta decima, anno quadringentesimo tricesimo, postquam Abraham Pater noster in Chananeam venit: & post Jacobi migrationem in Aegyptum anno ducentesimo decimo quinto. Moses vero annum tunc agebat octuagesimum, & frater ejus Aharon triennio erat major.* Hæc ibi Iosephus. Sane si facimus initium supputandi annos ccccxxx. à profectioe Abrahami è Charris in Palæstinam, fieri aliter non potest, quam ut moræ in Aegypto tribuantur anni cxv; fuerintque anni à nato Isaaco, quum cœpit semen Abrahami peregrinari & servire, usque ad exodum ccccv, ut ita, sicut sæpe in scripturis fieri non negamus, plenus & rotundus numerus exprimaturs à Domino ipso, Gen. XII, 3. & hîc à Stephano, neglectis interim quinque illis annis, tanquam in tanto numero non magni momenti. Verum multo magis verosimile est, initium supputationis faciendum esse à prima Abrahami profectioe, qua ex Vre Chaldæorum Charras se contulit. Quin Vre, non Charris, prima facta est promissio, ad quam Paulum citra controversiam respicere, & ab ea annos supputare, paulo ante diximus. Charris autem, ubi mortuus est Thara pater ejus, aliquandiu consedit & habitavit, Gen. XI, 31. Moræ itaque huic in Charris tribuantur quinque anni, qui ex annis ccccxxx. supersunt, & res erit plana. Nam & initium legitimum fiet à prima promissione; & opus non habebimus, ut annis illis quadringentis, quos Dominus, Moses, & Stephanus inculcant, quinque alios adsumamus. Nempe Abraham accepta promissione natali solo egressus, quinque annos Charris habitavit. Inde ad natum Isaacum xxy. anni. Isaac sexagenarius genuit Iacobum,

cobum. Iacob natus annos cxxx. descendit in Aegyptum. Exsurgit summa annorum ccxx, ideoque ex annis ccccxxx, supersunt anni ccx, tribuendi moræ in Aegypto. Iosephum autem eam quinque annis majorem fecisse, quam par erat, nihil absurdi. Haecenus igitur manifestum fecimus, à nato Isaaco usq; ad exitum ex Aegypto, esse & putari annos quadringentos: à prima vero promissione Abrahamo facta, & profetione ejus ex Vre Chaldaeorum, usq; ad eundem exitum & latam legem annos quadringentos & triginta, secundum Paulum, Gal. III, 17. quin etiam Moesen Exod. XII, 40. Verba autem ejus sic verti debent: *Incolatus filiorum Israel, qui habitaverunt in Aegypto triginta anni & quadringenti.* Relativum enim רשן referri debet ad בני ישראל non ad vocem מושב. Atq; ita non tantum exprimitur numerus annorum, quibus in Aegypto inquilini fuerant, sed universim omnium, quibus apud exteros habitaverant Israelitæ ipsi & patres eorum, & Abraham adeo caput & auctor gentis, ex quo is natali solo, egressus fuerat. Eum temporis terminum bis numerat Moyses; subjicit enim: *Et fuit transactis quadringentis triginta annis, fuit, inquam, eodem ipso die, ut egrederentur omnes exercitus Domini è terra Aegypti.* Docere voluit Deum fideliter pacto stetitisse, & populum à servitute liberasse, ipso die, in ipso temporis articulo, qui annos quadringentos & triginta terminabat: è quibus quadringenti deputandi fuerint peregrinationi Abrahamitarum, reliqui vero triginta parentem eorum Abrahamum occupatum tenuerint. * IOSEPHVS ACCERSIVIT PATREM SVVM IACOBVM, OMNEMQVE COGNATIONEM SVAM, CAPITVM SEPTVAGINTA QVINQVE. At Gen. XLVI, 27. in fonte Ebraeo non nisi septuaginta sunt; item sub initium Exod. I, 5. & Deut. X, 22. *Cum septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum.* Atq; hic numerus recensitis capitibus, quæ ibi enumerantur, atq; una comprehenso Iacobo, familiae capite exsur-

D

git, No-

V. 14.

Notandum autem Gen. XLVI, 15. ubi numerantur posteri Læ triginta tres, ibi accenseri Iacobum. Respicendum enim ad versum octavum, ubi argumentū recensitionis, quæ instituenda erat, tale præmittitur: *Hæc sunt nomina Israelitarum, venientium in Ægyptum, Iacob & filij eius.* Versus itaque xv. ita est accipiendus: Omnes animæ, filij eius, filiaque eius, una cum ipso, sunt triginta tres. Quum autem vers. xxvi. dicitur: *Omnes animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacobo in Ægyptum, egressæ è femore eius, exceptis uxoribus filiarum Iacobi, omnes, inquam, animæ sexaginta sex erant;* hoc numero manifesto excluditur Iacob. Dicantur enim numerari, qui egressi è femore Iacob; neque Iosephus cum duobus filiis eo comprehenditur; nam una cum Iacobo Ægyptum ingressi non erant. Hinc igitur planus est versus, qui sequitur: *Filij autem Iosephi, qui editi sunt ei in Ægypto, animæ duæ. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ est in Ægyptum, septuaginta;* nempe si sexaginta sex, addantur ipse Iacob, qui caput erat domus, & Iosephus cum duobus filiis, exurgit numerus septuagenarius. Atque recte dicitur fuisse animas domus Iacob, quæ Ægyptum ingressa est, septuaginta. Ad hanc enim domum utique pertinebat Iosephus, licet ipse cum Patre suo Ægyptum ingressus non esset, & filij eius Ægyptum non ingressi, sed in ea nati essent. Solet tamen non raro scriptura, quod pluribus convenit, imo bus, paucissimis tantum exceptis, id quasi conveniret omnibus, generaliter enunciare. Quæ ratione in Deut. x, 22. *Cum septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum;* atque ita in Hebræo fonte, cui consentit Iosephus Antiquit. lib. 2, cap. 4 omnia plana sunt. Sed turbat hic locus in oratione Stephani, item quæ hodie extat sub nomine Lxx. interpretum versio Græca, ubi numerus est septuaginta quinque. Quin, ne quid desit, adiiciunt nomina trium nepotum

tum & duorum pronepotum Iosephi, post v. 20. Fuerunt autem filij Manasse, quosei peperit concubina Syra, Machir, Machir autem genuit Gilead. Filij autem Ephraim, fratris Manasse Suthalach & Taam, filij autem Suthalach Edom. Nomina hæc pleraq; potuerunt petere è I. Paral vii. Quid igitur? num versionem Græcam sane corruptam præferemus fontibus Hebræis? Minime vero. Quin nepotes Iosepho nati esse non poterant, quando in Aegyptum venit pater ejus Iacob. Non enim tum nisi novennium extra carcerem in libertate & dignitate exegerat, ut supra ostendimus. Quod si tres hi Iosephi nepotes & duo pronepotes recenseri debuerunt, quia nati fuerunt, dum adhuc in vivis esset Iacob, quod tamen obtinere non potest, quum Iacob in Aegypto non nisi septendecim annos exegerit, Gen. XLVII, 28. aut dum in vivis esset ipse Iosephus, ut nonnulli volunt, multo profecto plures interea temporis nati recenseri debuissent. Recensentur quidē duo nepotes Iudæ, filij Phares, nempe Hesron & Hamath nondum nati, quum Iacob in Aegyptum descenderet, ut colligitur ex cap. 38. Gen. sed ut supplerent locum filiorum ipsius Ger & Onan mortuorum in terra Canaan. Neque decem filij Beniaminum nati esse poterant, cum in Aegyptum descenderet, sed ij recensentur, quod singuli postea futuri capita familiarum in sua tribu. Atqui nihil horum in pronepotibus Iosephi locum habet. Præterea numerus quatuordecim animarum è Rahel natarum, qui collectus habetur v. 22, excludit quinque illos superadditos. Num igitur quum errore aliquo septuaginta quinque in Græcis exemplaribus haberentur, Lucas, quod res tanti non esset, immutare quicquam noluit, ne huic lectioni assuetos turbaret? aut num incuria librariorum *ex ἑβδομήκοντα πάντες*

fecit ἐβδομήκοντα πέντε ? & quum id obtinuisset, alij ad hunc locum jam depravatum locum Geneseos exigere & ex eo emendare voluerunt ? Sane videtur. Adigit autem nos vel invitos hic locus, cujus alij nonnulli non multum sunt dissimiles, ut fateri necesse habeamus, in numerorum notis & nominibus proprijs sacrarum litterarum errata committi potuisse, non quidem ipsorum autorum, quorum mentem & calamus S. Sanctus gubernavit, culpa, sed ex scriptorum & librariorum vel oscitantia, vel inscitia, vel audacia, qualia tamen errata nec doctrinæ Christianæ quicquam derogant, cum ipsa dogmata & capita religionis non concernant, nec fidem historiæ labefactent, cum ab eruditis & aliorum locorum collatione animadverti & emendari possint. Ut igitur in libros sacros, quod nomina propria & notas numerorum attinet, errata irreperint, nihilo tamen minus illis tota salutis doctrina certissime & verissime continetur ; eam enim hoc medio, nempe per scripturas Deus peculiari providentia Ecclesiæ suæ prospiciens hætenus conservatam voluit & porro conservabit usque ad finem seculorum. Hic autem ipse locus, uti ostensum est, numeri labefactati luculentum exhibet indicium. Aliud est forte non minus evidens Marc. xv, 25 Ioh. xix, 14. Addantur è Vet. T. II. Sam. xxiv, 9. I. Paral. xxi, 5. item II. Sam. xxiv, 13. I. Paral. xxi, 12. item II. Reg. xxiv, 10. II. Paral. xxxvi, 9. Nomen Ieremiæ è margine in textum irrepsit Matth. xxvii, 9. Simile quid occurrit hoc ipso in v. 15 & 16. capite & oratione Stephani, v. 16. * DESCENDIT IACOBUS IN ÆGYPTVM : OBITQVE IPSE ET PATRES NOSTRI. ET TRANSLATI SVNT SICHEMAM ET POSITI IN MONVMENTO, QVOD EMERAT ABRAHAMVS PRETIO ARGENTIA FILIIS Εμμὸρ τῆς Συχέμ ; recte transfertur patris Sichem. Duode-

Duodecim patriarcharum monumenta Sichemis fuisse testatur oculatus testis Hieronymus in epitaphio Paulæ. Fallitur itaque Iosephus, qui Hebrone (in tribu Iudæ) sepultos scribit antiquit. lib. 2. cap. 4. Quin Ios. xxiv, 32. diserte dicitur ossa Iosephi Patriarchæ ab Israelitis ex Aegypto deportata, sepulta fuisse in Sichem in parte agri, quam emerat Iacob à filiis Hemor patris Sichem centum agnis. Ipse tamen *Jacob sepultus est Hebrone in spelunca agri Mappela, quem agrum emerat Abraham in possessionem sepulcri ab Hebrone Chiltæo è regione Mamre, Gen. 1, 13.* Emptio autem illa accurate describitur Gen. xxiii. Cum itaque dicit Stephanus, *obijtq; ipse & patres nostri, & translati sunt Sichemam, & positi in monumento,* non de Iacobo ipso, sed de filiis Iacobi patriarchis, translatio & sepultura, de qua subiicitur, accipienda. Eum autem agrum, in quo monumentum, à filiis Emmor emit Iacobus, ut satis constat è Iosua loco allegato, & Gen. xxxiv, 19. Quomodo ergo hic dicit Stephanus, *positi sunt in monumento, quod emerat Abraham?* Quum nomen nullum additum esset, adeoq; ipsius Iacobi nomen è prioribus cap. xxvii, 9. repeti debuisset, manus audax & imperita, ut apud Matthæum Ieremiam, ita hic Abrahamum interjecit. Illud autem *ἐξ ἡμῶν τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ ἐ Σιχέμ,* vertit Vulgatus: *à filiis Hemor, filij Sichem:* sed male, quum supplendū sit patris Sichem, sicut ex Mose & Iosua manifestum est. Sed & illi agnos vocant, quod hic Stephanus precium argenti; nempe per agnos intelligunt nummos argenteos imagine Agni signatos. Vide Drusium Miscell. cent. i. cap. 7. * SICVT SCRIPTVM EST IN LIBRO PROPHETARVM. Duodecim minores Prophetæ ab Hebræis pro uno libro habentur. R. David Kimhi Commentarium suum in illos ita orditur: *Hic liber est coagmentatus ex xii. Prophetis. Dixernnt Doctores nostri, simul esse compactos, ne liber ex illis periret*

D 6. propter

v. 42

propter brevitatem suam, si quis per se distinctus esset. Hæc ex interpretatione Merceri. Verba autem sunt Amos Prophetæ, quæ adducit Stephanus, ut ostendat, non esse novum hoc malum, quod Iudæi Deo sint rebelles, sed jam ab ipsis Aegyptiacæ liberationis temporibus cœpisse: ut ut enim recens ex Aegypto potenti Dei dextera eductos nihilominus à vera pietate descivisse, & idola coluisse. **NVM VICTIMAS ET HOSTIAS OBTULISTIS MIHI ANNIS QUADRAGINTA IN DESERTO:** non quod nullas obtulissent: contrarium enim constat vel ex uno capite Numerorum, septimo videlicet: sed quod non obtulissent animo, quo par fuisset. Ab impiis enim nullum obsequium Deus recipit aut ratum habet. Eadem ratione apud Esaiam cap. XLIII, 22. ex postulat Deus cum populo, quod nullis ab eo sacrificijs honoraretur: licet sacrificia quotidie oblata fuisset, nullum sit dubium. Sed Deus non externum opus, sed internam animi promptitudinem & integritatem respicit. Indefinite autem enunciatur, quod licet non in omnes ejus temporis Israelitas, in multos tamen aut plerosque compete-
W. 43. *** IMO BAIVLASTIS TABERNACVLVM MOLOCHI,** quod Idolum Ammonitarum, ut aliquoties dicitur I. Reg. XI. **ET SIDVS DEI VESTRI RHEMPHANIS,** quod nominis quidem neque alibi, neque apud ipsum Amos in fonte Hebræo reperitur. Fuit tamen sine dubio nomen alicujus Idoli, aliquando ab Israelitis culti. Stephanus enim hic, sive Lucas ex mente Stephani non tam verba Prophetæ, quam sensum hic expressit. Neque opus est, quidquid hic dicitur referre & restringere ad tempus XL. annorum in deserto; sed memoratur, quomodo Israelitæ erga Deum se gesserint ab exitu ex Aegypto per XL. peregrinationis annos, & deinceps.

OCTA-

OCTAVVM CAPVT.



De Simone Samaritano Mago, cuius hęc historia narratur, adscribantur verba Iustini, antiquissimi scriptoris & martyris Christi, ex eiusdem ad Antoninum Imperatorem Apologia, quę etiam Eusebius historię lib. II. cap. 12 transcripsit. *Simon quidam Samaritanus in vico, cui Githon nomen est, natus, qui sub Claudio Cesare efficaciam demonum arte in imperiali urbe vestra Roma propter magicas, quas exhibuit, virtutes, Deus habitus est, & statua apud vos veluti Deus honoratus: quę statua in amne Tiberi inter duos pontes est erecta, Latinam hanc habens inscriptionem: SIMONI DEO SANCTO. Ac Samaritani prope omnes, ex aliis autem nationibus etiam per pauci, illum quasi primum Deum esse confiteres, adorant quoque: & Helenam quandam profectiois eius eo tempore comitem, quę prius pudicitiam in propatulo habuerat, & in lupanari prostituerat, τὴν ἐνοίαν ἀρχὴν τὴν principem notionem & intelligentiam ab illo factam esse narrant. Hęc Iustinus. Istam autem Helenam pro Spiritu etiam sancto à Simone habitam scribit Epiphanius, hęc. 21. Nempe propter extremam malitiam ab Apostolis rejectus illis postea sese opposuit, & quasi de principatu cum illis contendere in animū induxit, sicut testatur Irenęus, lib. I, cap. 20. Ut igitur Apostoli virtute Christi miracula patrarent, ita quoque ille ope dæmonum & incantationibus magicis mira multa perfecit, quibus se gloriam Apostolorum æquare, aut etiam superare posse sperabat. Doctrinam autem penitus corrupit, & non sicut illi Christum Dominum, sed semetipsum prædicavit. Hinc Theodoretus lib. I, hęc. fabul. *Seipsum, inquit, nominabat infinitam potentiam, & se Judæis tanquam filium apparuisse, ad Samaritanos autem, tanquam patrem descendisse, ad alias autem gentes.**

gentes, tanquam Spiritum sanctum accessisse. De statua in ipsius honorem Romæ erecta consentit Irenæus. Tandem quum in omnibus cum Servatore nostro vellet contendere, & fiducia vanissimæ artis potentiaque diabolicæ per aëra volaret, fractis cruribus decedit, & miserrime perijt, fabula vulgi factus. Innuit hoc ipsum Epiphanius loco dicto. Cyrillus autem Hierosolymitanus, catechesi vi. ad preces Apostolorum Petri & Pauli dejectum scribit. Quin Maximus Taurinensis homil. v. in natalem Apostolorum Petri & Pauli utrumque conjungit, nec Paulum excludit, etsi mox specialius de Petro verba facit. *Inter cætera, ait, mirabilia, etiam magnum illum Simonem de aëris vacuo precipiti ruina prostraverunt. Cum enim Simon se Christum diceret, & tanquam filium ad patrem adfereret volando se posse conscendere, atque elatus subito magis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam levitatem.* Severus item Sulpitius historiæ sacræ lib. ii. utrique Apostolo victoriam de Simone tribuit. At de uno Petro loquitur Eusebius, lib. ii. cap. 13. *Benigna, ait, & propitia Dei providentia Petrum reliquorum Apostolorum propter virtutis amplitudinē facile principem, Romam versus ad ejusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quasi manu deduxit. Nam quum per illum divinus sermo jam ad Romanos pervasisset, vesana Simonis potentia exstincta est, & homo actutum una penitus profligatus.* Hæc ibi. Augustinus item libro de hæresibus: *In urbe Roma B, Apostolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute exstinxit.* Et Ambrosius lib. iv. Hexaëm. cap. 8. *Petrus Simonem alta cæli magico volatu petentem dissoluta carminum potestate dejecit & stravit.* Arnobius his antiquior lib. ii. aliter aliquanto & additis nonnullis, historiam narrat. Viderant Romani currum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore diffatas, & nominato Christo evanuisse, Viderant, inquam, fidentem

fidentem Diis falsis, & ab iisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo cruribus jacuisse præfractis: post deinde perlatum Brundam, cruciatibus & pudore defefum ex altissimi culminis se rursus præcipitasse fastigio. Hæc de Simone famosissimo illo hæreticorum omnium parente ex antiquis scriptorum monumentis cognoscere datur. Nam quæ præter hæc apud Hegesippum lib. III. cap. 2. prolixè, & Clementem libro VI. Constitut. cap. 9. narrantur, utpote fide minime digna, præterimus, quod scripta illa supposititia sint & auctores suos mentiantur. Peccatum autem ejus hic à Petro arguitur Simon, ejusmodi fuit. Quum conspexisset per impositionem manuum Apostolicarum dari Spiritum sanctum, hoc est, visibilia sancti Spiritus dona, & præsertim facultatem loquendi linguis, in animum induxit, ut rectè observat Irenæus, fieri ista ad modum artis magicæ; offert igitur Apostolis pecuniam, ut etiam ipsum hanc doceant artem, & facultate instruant, per quam quibuscunq; velit, Spiritum sanctum conferat. Existimavit itaque dona Spiritus non solis fidelibus & Ecclesiæ deberi; sed quibusvis pro lubitu communia fieri posse; neque agnovit virtutem Christi in Apostolis operantem, sed eam incantationibus suis magicis comparavit. Deinde peccat ambitione & avaritia; Apostolis se æquari expetit, & posthabita Dei gloria gratiam Spiritus, quasi venalis esset, mercari vult, ut suis adfectibus eam servire faciat: nempe sicut ex arte magica quæstum hæcenus fecerat, & nomen apud vulgus paraverat; ita quoque gratiam Spiritus S. quæstuosam & gloriosam sibi fore sperabat.

E

Neque

Neque igitur quid illa gratia esset, & quo fine divinitus concederetur intellexit, neque aliud quam quæstum & famam captavit. Quoniam autem, uti patuit, gratiam emere voluit, ut & ea indignus ipse potiretur, & quibus vellet, licet indignis, eam conferret, lucri & quæstus ergo, ad fines sane criminis Simoniani sunt, quicumque gratia divina & doctrina Evangelica, ad quæstum faciendum aut gloriam aucupandam abutuntur, *καὶ πηλεύοντες τὸν λόγον ἑθεῶν*, ut loquitur Paulus, II. Corinth II, 17. Item quicumque quum digni & idonei minime sint pecuniæ interventu, ministerium Evangelij & functionem prædicandi verbum & administrandi Sacramenta ambiunt ac emunt, eo cum primis fine, ut inde lucrū faciant, non autem ut Dei gloriæ studeant, aut salutem hominum promoveant, ad quam rem inepti sunt. Et quicumque ejusmodi hominibus id, quod diximus, ministerium propter pecuniam conferunt, ac quasi vendunt, isti omnes, etsi in triplici differentia sunt, videlicet, qui ministerium verbi hominibus in idoneis propter pecuniam conferunt; & qui quum alias inepti sint, pecunia comparant; & qui sive idonei sint, sive minus, ministerio functi, non tam ad Dei gloriam & salutem hominum, quam suam ambitionem & quæstum respiciunt; isti inquam, omnes ad fines sunt criminis Simoniani. Dico autem ad fines esse: idem enim prorsus crimen non committunt, quum non ministeriū verbi, sed extraordinariam illam Spiritus gratiam Simon pecunia licitatus fuerit, quod forte post eum nemo alius attentavit. Sequior ætas Simoniam dixit, quando beneficia Ecclesiastica, quæ præbendas vocant, pecunia acquiruntur, id est, ab uno emuntur, ab alio venduntur. Vide Decretum Gratiani Caus. 1. quæst. 3. Non excuso hoc ipsum. Satis enim foedum est, hujusmodi mercatus in Ecclesia exerceri, interim à crimine Simonis
Magi

Magi longius abest. Præbendis enim, quas vocant, non annexa est peculiaris aliqua Spiritus gratia, & ne quidem ministerium verbi, sed ministerium psallendi; quin ut hodie tempora sunt, ne id quidem, sed tantum externa dignitas & proventus, qui quum otiosis contingere queunt, occasionem nundinationi dederunt. Dignitatem itaque, quam diximus, & proventus emunt illi homines, non autem gratiam Spiritus Sancti neque ministerium prædicandi verbum, aut administrandi Sacramenta. Quia tamen dignitas sacrum nomen præfert, & redditus Deo & officijs sacris consecrati sunt, in divina & sacra injuste involare, & quia interventu pecuniæ dignitatē sacram & redditus sacros ad se transferunt, ideo Simonia crimine committere jam olim dicti, & propter id ipsum horribilibus execrationibus devoti & damnati fuere. Neque nos dicimus injuria hoc factum esse: ut ut enim cum Simone Mago non omnia communia habeant, sacrilegium tamen committunt, qui res Deo sacras ad se illicitis modis transferunt, ut in usus privatos aut profanos convertant. Quæ autem cum Simone communia habeant, intelligi potest, si perpendatur, qualis, quid & quo fine emere voluerit. Nempe Simon indignus gratiam extraordinariam pecuniæ acquirere voluit, ut quæstum faceret. Ita alij hodie etiam ipsi indigni gratiam ordinariam docendi & ministerium oblata pecunia affectant sui commodi ergo. Alij vero de quibus posteriore loco agimus, itidem indigni & minime meriti dignitates sacras, quibus uberes proventus annexi sunt, interventu pecuniæ adeunt eodem fine & ob commodum temporale. Qui autem indignis vendunt, cum ijs qui indigni emunt, in pari sunt crimine. Certum autem est dignitatem externam & redditus non tam res sacras esse, quam sunt gratia Spiritus & ministerium verbi. Posteriores itaque

et si crimen grave committunt, attamen crimini Simonis non tam affines sunt, quam priores. Hæc de istis. Si vero alicubi locorum consuetudine receptum sive autoritate Magistratus constitutum sit, ut pro ordinatione ministrorum, quam vocant, aliquid numeretur, crimen censeri non debet, nedum Simonia. Neque enim ministerium tanquam pretio venditur, neque eo interveniente ineptis & indignis confertur, neque deficiente idoneis denegatur, sed ab ijs, qui habent, ne utique ut pretium pro merce, sed ut stipendium pro labore numeratur. *Dignus enim est operarius mercede sua* I Tim, v, 18. *Et qui sacris operantur, ex sacrario edant, & qui altari assident, cum altari participant* I, Corinth. ix, 13. Nimis itaque rigide quod hanc partem attinet, nonnulla statuere videtur decretum Gratiani, causa i, quæst. i. Et hæc monuisse oportuit de Simone ac Simonia, crimine videlicet, quo venditur emiturve res sacra, aut ad quæstum & ambitionem transfertur: quo autem res magis sacra est, eo magis Simoniam esse constat. Porro verba Petri ad Simonem hæc sunt: **PECVNIA TVA TECVM PEREAT.** At ut ex sequentibus facile intelligitur, salvum eum potius voluit, quam perditum. Non tam igitur exitium homini precatur, quam imminentem Dei vindictam denunciat. Sane ut sceleris sui atrocitatem intelligeret & terrore incusso se ad poenitentiam converteret, tanta vehementia reum peragi oportuit. Eodem fine etiam pecunia ipsa exitio addicitur, utpote quæ tam nefario & sacrilego usui servire iussa, sceleris contagio infecta & polluta sit. * **NON EST TIBI PARS NEQVE SORS** ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ, hoc est, **IN HOC NEGOTIO.** Ut enim כֶּסֶף in Veteri, ita λόγος in Novo Testamento sæpe non verbum & sermonem, sed rem & negotium significat. Innuit itaque Petrus fieri non posse, ut do-
norum

v. 20,

v. 21,

norum S. Sancti, quæ ad eum modum expetat, particeps red-
 datur, * RESIPISCE IGITUR AB ISTA MALITIA
 TVA, ET DEPRECARE DEVM, SI FORTE REMIT-
 TETVR TIBI MACHINATIO CORDIS TVI. Hoc
 dicto Pontificij existimant suam confirmari sententiam, qua
 statuunt, neminem fidelem de remissione peccatorum cer-
 tum esse posse. At nulla est consequentia: Petrus de Simone
 homine malitioso dubitat, num remissionem peccatorum
 sit consecuturus: Ergo nemo, etiam viva & vera fide Chri-
 stum amplexus de remissione peccatorum certus esse potest.
 Quia enim propter summam malitiam Simonis dubitari ne-
 cessum erat, num unquam poenitentiam is esset acturus, non
 immerito itidem dubitari oportebat, num remissionem pec-
 catorum sit consecuturus. Sed ne quidem hic loquendi mo-
 dus dubitationis alicujus argumentum est, idque ostendere
 facile fuerit, modo similes Scripturæ locutiones perpenda-
 mus. Novatiani negabant, cuiquam, qui post Baptismum sua
 sponte & contra conscientiam peccasset, remissionem certo
 promitti posse, ut ut poenitentiam ageret, sed rem totam sub
 dubio relinquere debere; abutebantur hoc loco itidem ut Pon-
 tificij. Quia vero Ambrosius lib. II. de poenitentia. c. 5. recte
 ijs respondit, & dubitationem hinc evinci non posse demon-
 stravit, idem sibi pro responso habeant Pontificij: *Ego, inquit,
 nec Petrum dubitasse credo, nec dico, nec verbi unius præjudicio
 tantam causam strangulandam arbitror. Nam si putant dubitasse
 Petrum, nunquid & Deus dubitavit, qui ad Jeremiam prophe-
 tam: Sta in atrio domus Domini, & responsum dabis omni Jude, ijs
 qui veniunt adorare in domo Domini, omnia verba, que constitui
 tibi respondere ijs; noli auferre verbum, forsitan audient & aver-
 tentur. Dicant ergo & Dominum ignorasse, quid esset futurum.*

V. 22,

E 3

Addit

Addit similem phrasin ex Ezech, III, II. & subiungit: *Non ergo semper dubitantis ista est elocutio.* Adijcit item exemplum ex Iliados tertio. *Denique, inquit, habes in Evangelio, quia ipse filius de patre ait, cum misisset servos suos ad vineam suam, & occisi essent, dixisse patrem: Mittam filium meum dilectissimum, forsitan ipsum verebuntur.* Et alibi ex sua persona Filius ait: *Neque me scitis, neque Patrem meum: si enim me sciretis, & Patrem meum forsitan sciretis.* Atque hæc adversus dubitationem illam Ambrosius. Verissimum autem est, particulam forte interjectam semper dubitationis non esse. Edom ad Israelitas Num. xx, 18. *Non transibis per me, ne forte prodeam cum gladio obviam tibi.* Neque enim Edomitibus, num ipsi armata manu transitum Israelitarum prohiberi esset dubium erat, sed certum & constitutum, ut patet ex v. seq. 20. Quin rem ita se habere agnovit Iesuita Martinus Delrio vindiciarum Areopagiticarum cap. 6: *Sane, inquit, Scriptura in rebus certis ad mentem aliorum se accommodans ambiguè verbis non raro utitur, dicendo forte, fortassis, utrum & similia.* * IN IPSIVS DEPRESSIONE IUDICIUM EIVS SVBLATVM EST. Ita reddiderunt Septuaginta, & ex illis expressit Lucas, quod alias in Hebræo est, *ex angustia & iudicio assumptus est*, nempe ex angustia, claustro sive carcere, & iudicio, qui morti & infami supplicio addicebatur, assumptus est in gloriam. Quia vero semetipsum inanivit, Deus eum extulit in summam sublimitatem Phil. II, 9. In eundem sensum accipienda sunt Græca, ut licet verbis discrepent, in summa tamen rei cum Hebræo fonte conveniant. *In ipsius depressione, nempe quando ipse depressus & in ultimas angustias reductus damnationi jam & morti traditus fuit, iudicium ejus sublatum est*, hoc est, damnatio ejus quasi irrita facta est, quia morte superata in vitam redijt. Quum itaque videri potuit oppressus & perditus,

7.33.

ditus, Pater causam ejus asseruit, & damnatio ejus sublata est, quia ex damnatione salvus evasit, constitutus iudex omnium, qui ab alijs iudicatus fuerat. Oportebat autem prius deprimi & morti tradi, quam ad summam illam gloriam transferretur. ET GENERATIONEM, sive potius seculum & aetatem EIVS (hoc enim Hebraeis וְיָמָיו) QVIS ENARRABIT? hoc est, postquam morte triumphata resurrexerit, non amplius morietur, neque mors ei amplius dominabitur, Rom. vi, 9. sed vita ejus est aeterna Hebr. vii, 23. & regni ejus nullus est finis Luc. i, 33. QVONIAM TOLLITVR E TERRA VITA EIVS. Sane absurda speciem in ratio, quis enim interitum causam vitae statuatur? at ita Dei consilio erat constitutum, ut mors transitus ei esset ad immortalitatem, & ignominia ad gloriam.

NONVM CAPVT.



VIRI QUI CVM SAVLO ITER FACIEBANT, CONSTITERVNT MVTI, hoc est, attoniti manserunt. Non enim hic eo verbo status erecti corporis significatur, sed quod loco se movere nequiverint, attoniti & stupore quodam perculsi, absque quo fuisset, sine dubio celerrime aufugissent. Non igitur pugnat cum eo, quod infra cap. xxvi. 14. ipse Paulus narrat, una omnes decidisse & in terram prostratos esse. AVDIENTES QVIDEM VOCEM, NEMINEM AVTEM CONSPICIENTES. At iterum infra cap. xxii, 9. ipse Paulus: *Qui mecum erant, lucem quidem conspexerunt, vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum.* Nonnulli ita solvunt, ut dicant, comites audivisse vocem sonitus confusi, sed non distinctam, quam intelligere possent. Verum satius est,

v. 7.

est, hîc cap. 9. subaudire relativum *uiris*, quod paulo ante præcessit, & ad Saulum referre, ut sensus sit: audivisse eos vocem Sauli, nempe respondentis Domino: capite enim 22. Paulus signanter dicit, non audivisse comites vocem ejus, qui loquebatur cum ipso, videlicet ut distinguat à sua ipsius voce, quam quidem audiverint, sed non illam alteram.

v. 35.

* QVI INCOLEBANT LYDDAM ET SARONA. Lydda oppidum vel civitas non procul à littore maris mediterranei, & Ioppe, cui quondam una ex undecim toparchiis Judææ erat attributa, ut scribit Iosephus lib. 3. belli, cap. 2. Exusta autem est à Cestio Romani exercitus duce, lib. 2. belli, cap. 23. Saronas secundum Hieronymum de locis Hebraicis, *regio est inter montem Thabor & stagnum Tyberiadis, sed & inquit, à Casarea Palestina usque ad oppidum Joppe omnis terra que cernitur, dicitur Saronas.*

DECIMVM CAPVT.



æsarea, in qua habitavit Cornelius centurio, bidui itinere à Ioppe distans, urbs fuit maritima, ad differentiam alterius prope Libani radices & Iordanis fontes sita Cæsarea Palæstina dicta, quum olim diceretur turris Strabonis, sed ab Herode M. amplificata & novo portu aucta in honorem Augusti nomen mutare iussa est. Vide Iosephum lib. 15. Antiq. c. 13. & lib. 1. belli. Iud. c. 16. Hic autem Cornelius centurio fuit Romanus, qui nec dum Christo nomen dederat, nec Iudæis accenseri cœperat, ut proselytus esset aut circumcissus. Petrus enim cum mysterium universalis vocationis sublataque distinctionis inter Iudæos & gentiles nondum assecutus esset, peculiari visio-

ne

ne admoneri & institui oportuit, ut intelligeret licitum sibi esse hominem gentilem accedere, & de salute per Christum obtinenda docere. Et capite sequente Apostolis & fratribus, qui in Iudæa erant, rationem reddere coactus est, quare introiisset ad viros præputium habentes, & unacum eis edisset. *At illi re cognita Deum glorificantes dixerunt; Nempe & gentibus Deus pœnitentiam dedit ad vitam.* Nullum itaque dubium, quin Cornelius Iudæus non fuerit, nec secundum leges Mosaicas Deum coluerit. At nec Christianus erat, sed fieri debebat. Ergo Deum coluit ac precatus est, non nisi ex lumine naturæ cognitum, & prout hoc ipsi dictabat. Manifestum exemplum Deo placere, si ab hominibus per lumen naturæ, quantum ejus fieri potest, cognoscatur, & sicut ei cognitioni convenit, rejectis Idolis, pura mente colatur. Sicut itaque qui quum ex lumine naturæ Deum norint, non tamen ut Deum glorificent, neque gratias ei agunt; sed gloriam ejus, qui tamen incorruptibilis esse cognoscitur, mutant in imaginem corruptibilem, sicut, inquam, illi Deum irritant & iram ejus in se provocant, ut tradantur cupiditatibus cordium suorum ad impuritatem, uti docet Paulus, Rom. I. ita qui Deum ex recta ratione cognitum, prout cognoverunt, venerantur, Deo accepti sunt, non quidem quod ea ratione consequi queant vitam æternam, sed quod quum lumine naturæ & veritate per id cognita recte utantur, Deus porro pro sua benignitate prospicere illis velit de medijs, quibus ulterius ducantur & ad eam Dei cognitionem perveniant, quæ ad beatitudinem necessaria ac sufficiens fuerit. Atque hinc Petrus ipse ad Cornelium: *Vere deprehendo in omni gente acceptum Deo esse, qui eum timeat, & operam det justitiæ.* Loquitur autem de Cornelio, ut manifestum est. Qui itaque Deum timet & operam

F

dat

dat iustitiæ, eo, quo fecerat Cornelius, modo, hoc est, sequutus lumen naturæ, Deo acceptus est, non quidem ita, ut paulo ante diximus, ut hoc ipso modo, tanquam suo aliquo merito beatitudinem consequatur, sed quod beneficio Dei (qui veritatem, quam quovis modo revelavit, homines non vult negligere, aut in iniustitia detinere, sed magnificere & ductū ejus sequi) quod, inquam, Dei beneficio habiturus sit media, quibus porro innotescat sublimior illa & salutifera veritas.

VNDECIMUM CAPVT, quandoquidem nullas habet difficultates, præteritur.

DVODECIMVM CAPVT.

v. l.



EX HERODES INIECTIS MANIBVS MALE ACCEPIT NONNVLLOS EX ECCLESIA. Herodes hic Herodis M. & Mariamnes nepos est, filius Aristobuli, cognomento Agrippa, quod adijciens Syrus Paraphrastes, *Herodes, inquit, ille Rex, qui cognominatus est Agrippa.* Agrippa major vocari solet, quum alter, de quo infra cap. xxv. hujus filius, Agrippa minor dici consueverit. Horrendum ejus interitum describit Iosephus lib. xix. Antiq. cap. 7. Dicit autem vehementibus ventris torminibus, cruciatu per continuos quinque dies nihil remittente, confectum esse: Lucas hic vers. 23. *erosum à vermibus exspirasse; videlicet vermes intestina ejus erodentes, torminum ventris, de quibus Iosephus, & mortis causa fuerunt.* * NOCTE ILLA DORMIEBAT PETRVS INTER DVOS MILITES, VINCTVS DVABVS CATENIS. Hac fuit ratio custodiae

v. 6.

diæ militaris; nempe catana in manum captivi sinistram injecta, adligabat eum dexteræ militis, qui custodiae ejus præfectus. Inde Seneca libr. I. de Tranquillitate animi, cap. 10. *Sed quid refert? eadem custodia universos circumdedit, alligatiq; sunt etiam qui alligaverunt. Nisi tu forte leviozem in sinistra catena amputes.* Et epist. v. *Eadem catena & custodiam* (id est, noxium & custoditum, ut operæ, pro operarijs,) *& militem copulat.* Aliquando majoris custodiae & securitatis ergo duabus catenis reus vinciebatur, & singulis utrinque militibus adligabatur, ut hîc Petrus. Et Paulus duabus catenis vinciri jussus, Actor. XXI, 33. Erant autem hujusmodi catenæ longiusculæ, ut ambulare & pariter incedere possent. In hujusmodi custodia Paulum, ut Romam venit, fuisse, adparet ex Actor. XXII, 16. *Quum venissemus Romam, centurio tradidit vinctos præfecto exercituum: sed permissum est Paulo, ut habitaret seorsim cum milite, qui ipsum custodiret.* Et vers. 20. Paulus ipse; *Propter spem, inquit, Israelis, circumdatus sum hac catena.* Item Ephes. VI, 20 *Evangelij causa legatione fungor in catena.* Et II. Timoth. I. 8. *Non te pudeat mei, qui sum vinctus Domini.* & vers. 16. *Onesiphorus catenam meam non erubuit.*

DECIMUM TERTIVM CAPVT.



VENERUNT ANTIOCHIAM

v. 14.

PISIDIÆ. Hoc additur ad differentiam alterius Antiochiæ, videlicet in Syria ad fluvium Orontem sitæ, unde egressi erant, & cujus fit mentio versu I. Pisidia autem inter Ciliciam & Pamphylia regio est. Vide Ptolom.

Geogr. lib. v, cap 5. Porro Paulus in oratione sua ad Iudæos habita tria temporis intervalla diserte & distincte annotat.

F 2

Primum

- V.18. Primum quadraginta annorum in deserto. Alterum ab introitu in terram Canaan usque ad Samuelem. *Circiter quadraginta annorū tempus, inquit, mores eorum pertulit in deserto.*
- V.19. * ET QUVM DELEVISSET SEPTEM GENTES, (de quibus vide Ios. III, 10.) IN TERRA CANAAN, SORTE
- V.20. DISTRIBVIT EIS TERRAM EORVM. * ET POSTEA ANNIS CIRCITER QVADRINGENTIS QVINQVAGINTA DEDIT IVDICES VSQVE AD SAMVELEM PROPHE TAM. Sequitur tertium à Samuele usque ad Davidem.
- V.21. * ET EXINDE PETIERVNT REGEM, DEDITQUE EIS SAVLEM FILIVM CIS, VIRVM EX TRIBV BENIAMIN, ANNIS QVADRAGINTA. * ET AMOTO
- V.22. ILLO EXCITAVIT DAVIDEM, VT ESSET REX. Est autem locus I. Reg. VI, 1. ejusmodi: *Fuit quadringentesimo octuagesimo anno ab egressu Israelitarum è terra Ægypti, anno quarto, mense Zivo, (is mensis est secundus) regni Salomonis, ut a. edificare inciperet domum Domini.* Numerus annorum quadringentorum & octuaginta ab exitu usq; ad conditum templum admodum diserte exprimitur, eumq; omnino retinere necessum est, nisi & fidem Hebræi fontis in dubium vocare, & universam sacram Chronologiam velimus evertere. Colligitur autem exacto calculo in hunc modum: Commorationis in deserto anni quadraginta; principatus Iosue octodecim. Anni ludicum, qui tredecim ludicibus, libro ab ipsis dicto, tribuuntur, ducenti nonaginta novem: ubi notandū est, centum annos quibus Israelitæ aliquoties Regibus & populis extraneis servierunt, non separatim numerandos esse, sed accensendos annis ludicum, à quibus per intervalla liberati fuerunt. Anni Sacerdotis Heli quadraginta, I. Sam. IV, 18. Anni Samuelis & Saulis quadraginta. Coniunguntur enim hoc loco, nec peculiaris mentio fit annorum Samuelis,

muclis, quod ejus dignitas in dignitatem regiam transferit. Anni item Davidis quadraginta, II. Sam. v, 4. & tres Salomonis. Hi omnes collecti faciunt summam annorum quadringentorum & octuaginta. Annis igitur Iudicum ducentis nonaginta novem, qui in ipsorum libro numerantur, si addantur anni octodecim Iosuae, & quadraginta Heli, non exurgit nisi numerus annorum trecentorum & quinquaginta septem. Neque vero aliam supputandi annos quadringentos quinquaginta iudicibus tributos rationem inire possumus, quum non liceat principium eorum transferre ultra ingressum in terram Canaan, ut patet ex verbis *μετὰ ταῦτα*: neque finem ultra initium regni Saulis, ut patet ex verbis: *Exinde petierunt regem*. Quin etiam perspicuum sit, singulatim & distinctim recenseri tria ista tempora, commorationis in deserto, principatus iudicū, & regni Saulis, cui inclusa gubernatio Samuelis. Nam licet rege jam creato Saule, *Samuel tamen omnibus diebus vite suae iudicavit Israelem*, I. Sam. VII, 14. Quamquam majestas regia dignitatem Saulis quasi absorpsit, inde ejus anni seorsim non computantur, sed annis Saulis includuntur. Non igitur alia adparet hoc loco conciliandi ratio, quam ut dicamus, hallucinationem exscriptoris quadringentos quinquaginta fecisse ex trecentis quinquaginta. Super sunt quidem adhuc anni septem: sed additur particula circiter, quæ declarat, rationem non usque adeo exacte iniri. Et constat, numerum rotundum sæpe exprimi, interim nō habita ratione minoris superantis aut deficientis numeri. In Novo autē Testamento & varietates lectionis plures esse, & errores librariorum nonnunquā occurrere certum est, ut propterea dubium esse nequeat, quin ibi inter numeros V &

v.34. Novi Testamenti discrepantia occurrat, Novum ad formam Veteris exigi oporteat. * DABO VOBIS SANCTA DAVID FIDELIA, τὰ ὄσια Δαβὶδ τὰ πιστά. Locus ex Ies. LV, 3. ubi in Hebræo: *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles, sive stabiles, id est, promissiones ex benevolentia & misericordia Davidi factæ, erunt firmæ ac certæ, egoq; fideliter eas præstabo & adimplebo.* * CREDIDERUNT, QVOTQVOT ERANT ORDINATI AD VITAM AETERNAM. Ordinati utique à Deo: Sed non sequitur: Ergo ordinati absoluta Dei voluntate, quod rationem nullam mediorum habuerit. Quin potius si Deus ad vitam eos ordinavit, respexit illum ordinem, quem ipse in conferenda salute statuit, & media, per quæ ad vitam vult perveniri, ita ut, quia illi hæc media repudiaturi non erant, verum ijs obsequuturi, atque id ipsum Deus ab æterno præsciverat, ideo ad vitam illos ordinaverit. *Quos enim præscivit, etiam prædestinavit, Rom. IIX, 29. Et electi sumus secundum præscientiam Dei Patris, I. Petr. I, I.* Nempe vult Deus vitam conferre credentibus: fidem autem ijs, qui verbum ejus non negligunt aut repellunt, sed audiunt & recipiunt. Nunc autem ab æterno præscivit, quidquid fit in tempore. Præscivit itaque quod Iudæi repulsuri essent verbum, seque ipsos iudicaturi indignos vita æterna, ut est vers. 46. Gentiles contra audituros, gavisuros & magnifacuros, ut est vers 43. Secundum huiusmodi itaq; præscientiam, hos ad vitam æternam ordinavit, illos vero præterijt, sive reprobavit. Tantum igitur abest, hoc loco absolutum aliquod decretum stabiliri, ut potius ordo, quæ in conferenda fide & salute, sicut in tempore servat Deus, ita ab æterno statuerit, perspicue declaretur.

v.51. * VENERUNT ICONIUM. Iconium urbs est Cappadociae, in præfectura Lycaonia, secundum Prol. Geogr. lib. V. cap. 6.

cap. 6. Plinius autem Ciliciæ, cui confine est, tribuit, lib. v. cap. 27. & urbem celeberrimam vocat.

DECIMVM QVARTVM CAPVT præteritur.

DECIMVM QVINTVM CAPVT.

Hoc capite exponitur, quomodo eos, qui ex gentibus Christo nomen dederant, turbarint nonnulli ex Iudaismo & Pharisæismo conversi, qui docebant, Circumcisionem & observationem legis ceremonialis Mosaicæ, ad salutem necessariam esse. Notandum autem quod attinet circumcisionem & ritus mosaicos, differentiam fuisse inter conversos ex Iudæis & ex gentibus. Quamdiu enim supererat templum Hierosolymitanum, nemini Iudæo, ut ut converso, Hierosolymis præsertim ac in Palæstina commoranti fas fuisse existimo ritus & ceremonias negligere. Circumcidi itaque oportebat, festo Paschæ, Septimanarum ac Tabernaculorum Ierosolymis convenire, sacrificia offerre, & reliqua facere, quæ lex exigeret. Et si enim ab ijs sacrificia offerri non poterant, nec debebant, tanquam quæ essent typi & figuræ ejus quod consummandum restaret, quandoquidem jam suum in cruce sacrificiū, quod Mosaicis hæctenus præfiguratum fuerat, Dominus noster adimpleverat: non itaque licuit, inquam, sacrificia offerre, tanquam figuras incompletas futuri, cum id non sine immani errore & injuria in Christum factum fuisset: licuit tamen, imo oportuit ea celebrari tanquam ceremonias à Deo institutas, adeoque sacrosanctas & venerabiles, in quas
nemini

nemini jus mutandi vel abrogandi, nisi ipsi earum auctori. Is autem tum demum se abrogasse luculentum & manifestū indicium fecit, quando urbem & templum Hierosolymarum, quibus isti cultus peculiariter alligati erant, funditus everti & deleri voluit, ita etiam ut omnem spem restitutionis præcideret & tolleret. Interea temporis Iudæi, conversi cum primis, qui in urbe & Palæstina vivebant, ritus observarunt cum ob causam modo dictam, tum etiam ne scandalo essent reliquis & legem Dei contemnere viderentur, atque ita animos eorum ab Evangelio magis alienos redderent, motibusque & turbis occasionem præberent. Rem ita se habere liquet quidem ex eo, quod credentes in templo concorditer perdurarint Act. II, 46 Petrus & Iohannes adscenderunt in templum sub horam precatationis nonam Act. III, 1. quod tempus fuit sacrificij vespertini, adeoque sacrificium spectarint, & quum offerretur, adfuerint. Manifestius autem patebit ex ijs, quæ modo subiiciam: Paulus Timotheum natum patre Græco & matre Iudæa fidei circumcidit propter Iudæos, qui in illis locis erant Act. XVI, 3. Quin ipse secundum præscriptum legis Mosaicæ, quod est Num. 6. votum vovit, & Cenchræis (Corinthiorum est navale in sinu Saronico, secundum Ptolomæum Geogr. lib. III, cap. 16.) caput totondit Act. XVIII, 18. Quin cum Hierosolymam venisset, Iacobus & qui cum eo presbyteri exponunt, quod suspicionem incurrisset, quasi Iudæos, qui inter gentes vivebant, doceret defectionem à Mose, & diceret, eos non debere circumcidere filios, neque secundum ritus ambulare. Hoc autem neque Paulum fecisse, neque ut faceret conveniens fuisse, satis declarant, dum consilium dant & rationem ostendunt, quo istam suspicionem à sese amoliantur. *Sunt nobis, ajunt, viri quatuor, qui voto sese obstrinxerunt, (nempe secundum*

cundum legem Moſis de Nazaræatu Num. 6.) *his assumtis ſanctificator cum iſs.* & adde ad eorum ſumptus, ut radant capita, & norint omnes, nihil eſſe eorum quæ de te auditione acceperunt, ſed te quoque ita incedere, ut legem obſerves. Et huic Iacobi & præbyterorum conſilio Paulus obſecutus assumptis viris illis ſequenti die cum eis ſanctificatus, hoc eſt, ſecundum ritum Nazaræorum à communi uſu vivendi ad peculiarem Dei cultum ſegregatus intravit templum, denuncians expletionem dierum ſanctificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio: nempe in arbitrio voventis erat, quotnam ille diebus à Deo ſegregari vellet; completis autem illis certis ſacrificia offerri oportebat. Neceſſe itaque fuit, expletionem dierum Sacerdotibus ſignificari, quod fecit Paulus, ut intelligeretur ipſe pro ſe votum ſuſcepſiſſe. Iſta leguntur Act. xxi, 21. & ſeqq. Oblatio autem ſive ſacrificium illud triplex erat, agnus anniculus in holocauſtum; agna in propitiatoriũ; & aries in eucharisticum Num. vi, 14. Atque ita ex lege offerri neceſſe erat, quibus porro adijcere licebat, quæ cuique viderentur & ad manum eſſent, v. 21. Paulus itaque ſecundum legem Moſaicam & votum vovit, & ſacrificia pro ſe offerri voluit ac fecit, ut oſtenderet, ſe legem rituum utpote à Deo profectam reverenter habere, nec eam adhuc, quamdiu templum ſuper eſſet, abolitam iudicare. Neque vero cuiquam fas erat, eos cultus quamdiu à Deo manifeſto argumento aboliti non eſſent, illicitos aut abrogatos pronunciare. Eſt igitur ſacrificia ut ſignificantia futurum à nemine offerri debebant, neq; vero ea neceſſitas aut horum aut aliarum ceremoniarum erat, quæ fuerat pridem, (ante Chriſtum enim abſque iſs ſervari nemo potuiſſet) Iudæos tamen converſos, qui in Palæſtina vivebant, conveniebat circumciſionem & reliquos ritus retinere, &

G

paria

paria cum popularibus suis secundum legem facere cum ob-
 rationem modo dictã, tum ut scandalum vitarent, nec alios
 à Christo abalienarent. Atque inde ipse Paulus, *Judais,*
 inquit, *factus sum ut Judais, ut Judeos lucrificarem, I. Cor. IX, 20.*
 Gentilium conversorum dispar aliquanto ratio. Etsi enim
 non illorum erat, ceremonias illicitas & penitus abolitas di-
 cere, causa tamen quæ potissima erat & à vitando scandalo
 fumebatur, minus illos concernebat, quam Iudæos. Quia
 enim legem ceremoniam nunquam receperant & semper
 ab ea alieni fuerant, quin ipsa illis non lata, & pleriq; extra Pa-
 læstinam degebant, ideo minus offendiculo esse poterant. At
 qui ex Iudæis hæc turbas dabant, circumcisiõem & observa-
 tionem rituum urgebant, tanquã medium ad salutem neces-
 sarium. * NISI CIRCVMCIDAMINI, ajunt, RITV
 MÖSIS, NON POTESTIS SERVARI. Hac autem ra-
 tione ne quidem ad ipsos amplius Iudæos pertinebat, sed
 quia, ut exposuimus, sine maximo scandalo fieri non pote-
 rat, ut qui Iudæi nati essent & ab ineunte ætate legem obser-
 uassent, interq; medios populares prope templum vive-
 rent, ut hi, inquam, ritus, quos à Deo mandatos & nondum
 abrogatos esse constabat, subito repudiarent, ideo majori
 quadam necessitate ad eos observandos tenebantur. Doctri-
 na enim Christiana hanc ob rem male audisset, quasi legis
 divinæ contemptum doceret, & homines, qui hætenus reli-
 giose ei obtemperassent, de repente mutaret & ad manifestã
 impietatem abriperet. Sed ista observatio non erat causa
 aliqua aut medium consequendæ confirmandæve salutis
 aut fidei, sed effectus & officium caritatis, quæ fidem sequi-
 tur, cum erga Deum, ut ejus mandata reverenter haberen-
 tur, tum erga proximum, ne usu alicujus libertatis offende-
 retur & à veritate amplectenda deterreretur. Atque obser-
 vatio-

V.L

vationem legis non esse medium, quod diximus, sive gentes, sive ludæos respicias, satis hoc ipso capite declarat & confirmat Petrus: * VOS, ait, SCITIS, DEVM IAM PRIDEM ME ELEGISSE, VT PER OS MEVM AVDIRENT GENTES EVANGELIVM ET CREDERENT: nempe hoc vobis constat ex historia Cornelij, quam pridem vobis exposui. * ET ILLE CORDIVM COGNITOR DEVS PRAEBVIT EIS TESTIMONIVM, DATO IPSIS SPIRITV SANCTO sive visibilibus Spiritus donis, ut dictum est supra de Cornelio ejusque familia cap. x, 44. & seqq. SICVT ET NOBIS. Nam quum hæc dona propria sint Ecclesiæ, & non nisi ejus membris conferantur, Deus qui non respicit externas ceremonias, sed fidem intimi cordis, dum ea gentibus contulit, etiam si nec circumciderentur, nec ceremonijs ullis sese adstringerent, hoc ipso satis declaravit & testatum fecit, se illas in populum sibi cooptasse. * NIHILQVE DISCREVIT INTER NOS ET ILLOS, FIDE & nullo alio externo ritu PURIFICATIS CORDIBVS EORVM. * NVNC ERGO QVID TENTATIS DEVM, hoc est, Dei sapientiam. Sicut enim Deus revelavit & manifestis indicijs comprobavit, media, quibus purificentur & justificentur gentes, quæ nō sunt lex & ceremoniæ, sed audire Evangelium & illi credere. Vos igitur, quare hujusmodi revelatione contenti non estis, & Dei opus prudentia vestra emendare conamini, VT IMPONATVR IUGVM CERVICI DISCIPVLORVM, QVOD NEQVE PATRES NOSTRI, NEQVE NOS PORTARE VALVIMVS? Num igitur ceremoniæ à Mose præscriptæ à nemine præstari possunt, sive tot & tales sunt, ut earum oneri omnes humanæ vires impares sint? Non sane: idque patet ex re ipsa; quin à ludæis satis accuratæ fuerunt observatæ. At loquitur Pe-

V.7.

V.8.

V.9.

V.10.

V.11.

trus de universa lege, deq; ea ostendit, per eam neminē salvari quod nemo eam possit præstare. * SED, ait, PER GRATIAM DOMINI IESV CHRISTI, & non per opera legis, CREDIMVS NOS, qui ex Iudæis sumus, SERVATVM IRI, QVEMADMODVM ET ILLOS, qui ex gentibus sunt. Argumentum igitur ejus est hujusmodi: Nemo servatur per legem Mosis. Ergo ejus observatio tanquam medium obtinendæ salutis fidelibus non est injungenda; ac per consequens nec legis ceremonialis. Antecedens probatur, quia onus legis est intolerabile, sive quia legem, cujus potissima pars moralis est, præstare nemo potest. Si igitur per legem moralem nemo servatur, multo minus per ceremoniam. Atque ita declaravit Petrus, ceremonias tanquam medium obtinendæ salutis necessarias non esse, neque hoc fine fidelibus, qui ex gentibus erant, injungendas. Sed quæri ulterius poterat, etiamsi hoc fine injungendæ non forent, annon alio fine injungi oporteret, nempe ut præstaretur Dei mandatis obedientia, & ut scandalum caveatur. Hanc autem rem explicat & determinat Iacobus. Primo Prophetarum vaticinijs vocationem & conversionem gentium prædictam fuisse ostendit. * ET NOTATA SVNT, inquit, DEO AB AEVO OMNIA OPERA SVA. quasi dicat, non est quod quisquam turbetur, aut novum esse existimet; gentes in Ecclesiam admitti, ita etiam ut familiam non mutant, nec ad Iudæos transeant: nam id à Prophetis prædictum, & à Deo ab omni ævo ante jacta mundi fundamenta decretum. Quæ enim Deus in tempore facit, ab æterno se facturum novit & decrevit. * QVAMOBREM EGO CEN-
SEO NON ESSE OBTVRBANDOS, sive ut judaismum

V.18.

V.19.

daismum amplectantur adigendos EOS, QUI EX GENTI-
 BVS AD DEVM SE CONVERTVNT. * SED AD V. 20.
 EOS SCRIBENDVM, VT ABSTINEANT A
 POLLVTIS PER SIMVLACRA, ET SCOR-
 TATIONE, ET SVFFOCATIS REBVS, ET
 SANGVINE. *ἄλισγμάτα τῶν εἰδώλων*, sive pollutiones
 & contaminationes idolorum dicuntur, quæ infra vers. 29.
 & cap. XXI, 25. *εἰδωλόθυτα*, hoc est carnes vel res aliæ ido-
 lis oblatae & consecratae, quæ postea vel in conviviis gen-
 tilium apponebantur, vel in macello etiam vendeban-
 tur, ut alibi diximus. Sanguinis esus prohibitus etiam
 ante Moysen Gen. ix, 4. & per Moysen Levit. xvii, 10. & seqq.
 & ne ullo pacto comederetur sanguis, iubetur effundi san-
 guis animantium edulium, quum occiderentur, vers. 13.
 Nisi enim id fiat, necesse fuerit sanguinem in venis reten-
 tum una comedi. Suffocata itaque hoc loco sunt mortici-
 na & alia, quorum sanguis effusus non fuerit, sive quæ
 interierint alio modo, quam patente quodam vulnere,
 per quod uniuersus sanguis exiret. De suffocatis itaque
 non est traditio addita legi Moysi, sed præceptum superio-
 ribus de fundendo & non comedendo sanguine compre-
 hensum. Hæc autem, uti patet, omnia natura sua res
 mediæ sunt, & Christianis per libertatem, quam in Chri-
 sto habent, concessæ. Additur autem his scortatio, res
 minime indifferens, & hic quidem in oratione Iacobi secun-
 do loco; infra autem in epistola synodica ultimo, uti etiam
 cap. XXI, 26, sed de ea paulo post monebimus. Caterum,
 uti diximus, tria illa, *εἰδωλόθυτα*, sanguis, & suffocatio
 Christianis mediæ & indifferentes sunt: interim hic in-
 terdicuntur ijs, qui ex gentibus ad Deum se conver-
 tunt. Nempe quum Iudæi ejus temporis idola maxime

aversarentur, & idololatriæ essent infensissimi, adduci non poterant, ut cum ijs, quos idololatriæ participes esse sibi persuaserant, ullam familiaritatem inirent. Si itaque Christiani, qui ex gentibus erant, idolothyta comedissent, à Christianis, qui ex ludæis convertebantur, existimati fuissent idololatriam non averfari, sed eam etiamnum sectari & amplecti. Nulla itaque concordia, nulla familiaritas iniri, & utrique in unam Ecclesiam coalescere nunquam potuissent. Deinde præbita quoque alijs fuisset occasio suspicandi, quasi à Christianismo idololatria non esset aliena, neque Christianis communio cum idolis illicita, adeoq; tota religio eo nomine male audisset, & ab ea amplectēda ludæi fuissent deterriti. Idolothyta itaque prohibentur, ut viteretur scandalum, quæ cessante causa, cessat quoque ipsa prohibitio, quæ propter illam fuerat instituta. Neque vero hujus decreti meliorem interpretem audire possumus, quam ipsum Paulum, qui post editum decretū Corinthios instruxit in hunc modum:

V.27. *Quidquid in macello venditur, edite, nihil discriminantes propter conscientiam. Quod si quis infidelium vos vocat, & vultis ire, quidquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam.* Hoc nimirum facite, quum vestro arbitrio vivitis, neque opus est infirmorum rationem habere, sive ubi nullum offensionis periculum subest.

V.28. *At si quis vobis dixerit; Hoc idolis mactatum est, nempe ubi alius cognitione nondum instructus offenditur, ne edite, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam illius.* Ita etiam supra cap. ix, 8. *Esca nos non commendat Deo; neq; enim si edamus, amplius habemus, neq; si non edamus, minus habemus. Sed videte, ne quomodo facultas illa vestra impingendi causa sit infirmis.* Ut igitur Paulus nos docet, cessante scandalo vesci nos licet quibusvis, adeoq; Christiani hac constitutione, ubi nullum offensionis periculum est,

est, non obligantur. Par ratio, quod attinet prohibitum esum sanguinis, cui includitur prohibitio suffocatorum, & notandum Apostolos respicere ad ea, quæ occurrere necesse erat in familiari convictu & quotidiana conversatione. Remota itaque cupiunt obstacula, quæ impedire poterant, quominus conversi ex Iudæis & gentibus familiariter convivescerent, & paulatim in unum corpus unamque Ecclesiam coalescerent. Nam si, qui ex gentibus erant, idolothyta passim in cibum adhibuissent, summo offendiculo & conversos Iudæos à mutua conversatione abalienassent, & reliquos nondum conversos penitus à religione Christiana deterruissent. Esus itidem sanguinis & suffocati, à quo Iudæi non tantum propter reverentiam legis Mosaicæ, sed ob mandatum antiquitatem multo majore augustum & venerabile abstinebant, familiaritatem & convictum interrurbasset, & radiosum reddidisset. Huic malo occurrere volentes Apostoli, decretum, de quo modo agimus, condunt; de sacrificijs autem nihil constituunt, quod ad eos, qui extra Palæstinam viverent, scribebant, & alibi quam Ierosolymis sacrificia offerre non liceret. Neque vero illis necessitatem Ierosolymas statim temporibus commigrandi imponunt: atque ideo Iacobus & Presbyteri Ierosolymitani, Paulo, ubi eum hortati essent, ut secundum legem Mosis se sanctificaret & sacrificia offerri faceret, in memoriam revocant hoc decretum, eique se stare ostendunt, nec à gentibus quidquam tale, quale à Paulo nunc exigant, requirere, Actor. xxi, 25. Manifestum itaque hoc decretum conditum fuisse, non ut semper, sed ut ad tempus obtineret, nempe quam diu periculum esset scandalum & abalienationis Iudæorum, sive à religione sive à convictu Christianorum. Intelligo autem Iudæos, qui vel jam crediderant, vel de quibus ut crederent spes erat. Quando igitur

v.28.

igitur scribunt Apostoli: VISVM EST SPIRITVI SANCTO ET NOBIS, NE QVOD AMPLIVS VOBIS IMPONEREMVS ONVS, PRAETER NECESSARIA ISTA: intelligunt necessaria non simpliciter & absolute, sed pro isto tempore & fine, quem diximus, atque ex ipso Paulo manifestum fecimus. Huic autem edicto satis diu in primitiva Ecclesia obtemperatum fuit, & diutius forte quam opus fuisset, aut requireret intentio Apostolorum & scopus, quem illi sibi proposuerant. Observandum enim, quum ab ethnicis Christiani arguerentur infanticidij, & quod carne ac cruore interemptorum puerulorum delectarentur, plerumque in hunc modum respondisse, ut respondet tortoribus suis Biblis martyr, recensente epistola Gallorum apud Euseb. lib. v. cap. i. *Quomodo, inquit, eiusmodi viri liberos suos devorare in animum poterunt inducere, quibus ne licitum quidem sit sanguinem animalium ratione carentium comedere?* Minutius Felix in Octavio suo: *Tantum ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.* Tertullianus Apologet. cap. ix. *Erubescat error vester de Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea quoque suffocatis & morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto.* Vide etiam Origenem lib. ii. in epist. ad Romanos; & libro ix. contra Celsum. Cyrillum Hierosolymitanum catech. iv. Concilium Gangrense, can. ii. Iuxta has tres autem res, natura sua medias & indifferentes, ponitur scortatio, non quod & ipsa secundum se indifferens esset, sed quod passim à gentibus indifferens haberetur, nec flagitium judicaretur adolescentem scortari, quin apud ipsas pars aliqua religionis & cultus numinum in prostitutione corporum poneretur. Vide Herodotum de Babylonijs, in Clio.

Clio. Atq; ideo Paulus, quum 1. Cor. vi, 12. disputationem de rebus medijs ingressus esset, & de cibis dicere cœpisset, mox subjungit de scortatione, & ostendit eam rebus indifferentibus adnumerandam non esse, ut talis passim à gentibus haberetur. Quum igitur periculum esset, ne scortationē nonnulli liberam existimarent, eam prohibent Apostoli, & prohibitionem ejus rerum mediarum prohibitioni adjungunt, quod talis vulgo censeretur. Hic autem nuda prohibitione contenti sunt, interim pleniorē cum de scortatione, tum de reliquis instructionem & doctrinam, qualem apud Paulum videre est, porro, ubi usus & opus esset, tradituri. Beza per scortationem idololatriam intelligi arbitratur. Verum metaphorica & spiritualis ista scortatio minus etiā res media & indifferens, quam hæc altera. Nulla itaque ratio, quare rebus indifferentibus illa adnumeretur. Præterea licet scortatio in Vet. Testamento idololatriam sæpe significet, non tamen ita nude & simpliciter posita, sed addi vel subjungi solet, unde sermonē de spirituali idololatria esse intelligi possit. Quin, quum ad gentiles, scripturæ non admodum peritos, scribant Apostoli, non videtur verosimile, uti eos voluisse loquutione figurata & metaphorica, quā non nisi in scripturis exercitati intelligerent, multo autē minus in qua etiā ipsi, qui exercitati fuerint, hærerent. Ex his igitur, quæ diximus, manifestum est; I. Circumcisionem & sacrificia ac ceremonias post passum Christum nec ludæis, nec gentibus tanquam mediū obtinendæ salutis aut fidei fuisse necessarias. II. Ludæis conversis in Palæstina degentibus usq; ad destructū templū eatenus fuisse necessarias, ne viderētur Dei mandata parum reverenter habere, ac populares suos cum à sese, tum à Christianismo abalienarent. III. Et propterea proprie & in rigore loquendo ipsis quoq; ludæis adiaphoras fuisse. IV. Sed & eodē fine aliquam earū observationem à gentilibus conversis non fuisse

H

alie-

alienam. V. Quum autem usum rerum mediarum caritate definiri oporteat, hanc ipsam à Iudæis plus & majus quid exegisse, quam à gentibus, nempe ut Iudæi in Palæstina, inquam, & prope templum habitantes sacrificia secundum legem Mosis offerrent, & reliqua præstarent, usq; quo destrueretur templum, & ipsa urbs, sacris illis diuinitus destinata. VI. At gentibus extra Iudæam satis fuisse, ut in quotidiana & familiari conuersatione Iudæis aliquo modo abstinentia ab idolothytis & sanguine se conformarent. VII. Et hoc ipsum ab Apostolis definitum & constitutum esse, liX. Idq; quum non nisi ob vitandum scandalum constitueretur, hac causa cessante jamdudum cessasse, neque quemquam amplius obligare. IX. Hinc porro colligitur, Ecclesiam usum rerum alias mediarum ob emergens scandalum aut prohibitam ædificationem proximi certis modis limitare & præscribere posse. X. Has autem constitutiones cessante causa, cessare etiam ipsas, nec cuiusquam conscientiam obligare.

DECIMUM SEXTVM CAPVT.

v. 6.

v. 7.

PAVLVS ET TIMOTHEVS PROHIBITI SVNT A SPIRITV SANTO LOQVI SERMONEM, hoc est, prædicare Evangelium IN ASIA, minore videlicet; NEQVE SIVIT EOS SPIRITVS IESV IRE IN BITHYNIAM, non quidem quod nollet has gentes Evangelium audire & converti, sed quod sciret, tum temporis ex prædicatione Pauli aut exiguum, aut nullum in istis locis fructum, maximum vero & amplissimum in Macedonia expectandum: interim nec isto tempore aliquem ex reliquis Apostolis eorumve discipulis in Asia, aut Bithynia

Bithynia prædicare vetuit; nec vel ipsum Paulum alio tempore; sicut sane constat hæc gentes paulo post partim à Paulo, partim à discipulis ejus Evangelium audivisse & conversas fuisse.

DECIMUM SEPTIMUM CAPVT,
quum nullas habeat difficultates, præ-
teritur.

DECIMUM OCTAVVM CAPVT.



apite decimo octavo & decimo nono exponuntur primordia Ecclesiæ Ephesinæ. APOLLOS INITIATUS VIA DOMINI, QUVM PERVENISSET EPHE-SVM, DOCEBAT DILIGENTER EA, QVAE SVNT DOMINI, SCIENS TANTVM BAPTISMA IOANNIS. Accipitur autem Baptisma Ioannis, ut Luc. xx, 4. ubi ex primoribus Iudæorum quærit Servator: *Baptismus Joannis è cælo erat, an ex hominibus?* Nempe per Synecdochen designatur totum Ioannis ministerium, quod peragebatur docendo & baptizando: interim quia baptismus hujus ministerij pars erat maxime conspicua & in oculos incurrens, inde sumta fuit denominatio. Apollos itaque norat Messiam & redemptorem humani generis jam esse exhibitum, & venisse agnum, qui tolleret peccata mundi, & hunc ipsum esse Iesum, filium Mariæ: Hæc autem norat quatenus ferebat institutio Ioannis, qua sola vel ab ipso Ioanne, vel à discipulis ejus imbutus fuerat, quum interea temporis fors non tulisset, ut vel Christum docentem audiret, vel cum Apostolis familiaritatem iniret. Sciebat igitur tantum baptisma

V. 25.

H 2

Ioan-

Ioannis, hoc est, doctrinam de Iesu, prout ea à Ioanne proposita fuerat, & prout qui eam amplexi erant, fidem suam suscepto baptismo profitebantur. Ex huius disciplina prodire sine dubio discipuli illi duodecim, de quibus capite sequente decimo nono.

DECIMUM NONVM CAPVT.

v. 30



N eos quum Ephesi Paulus incidisset, quærit ex ipsis, Num Spiritum S. accepissent, postquam baptizati essent. Non sane intelligit dona Spiritus Sancti omnibus fidelibus communia, sive ipsam regenerationis gratiam. Ea enim illos potitos esse dubitari non poterat, quando quidem in Christum crediderant, & discipuli non falso aut temere appellabantur: sed intelligit dona illa extraordinaria prophetiæ & linguarum. Respondent illi; **IMO SITNE SPIRITVS SANCTVS NE AVDIVIMVS QVIDEM.** Quia, ut diximus discipuli erant, quo nomine non adpellabantur, nisi qui crediderant, & Christo nomen dederant, non poterant ignorare personam Spiritus sancti, neque regenerationis gratiam, sed sicut dicitur Ioh. vii. 39. *Nondum erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus:* Eadem ratione illi hic loquuntur, & admiranda ac singularia Spiritus sancti dona, post adscensionem Christi Ecclesiæ conferri solita, intelligunt. Tunc dixit eis

v. 3.

Paulus: IN QVID ERGO BAPTIZATI ESTIS? Non dubitabat baptizatos esse, quando quidem discipuli erant: neque vero magnopere mirari poterat, eos non accepisse insignia illa Spiritus sancti dona. Non enim omnibus & singulis conferebantur, sed nonnullis selectis, & quidē per manuum impositionē. Miratur vero quod, quum dona, quæ diximus, passim in Ecclesia vigerent, & ab Ecclesiæ mēbris ignorari nō pos-

possent, utpote illustra & admodū frequentia quod nihilo-
minus ad notitiam eorum non pervenissent. Quæritigitur
in quidnam sint baptizati, id est, cujus ministerio, & qualem
doctrinam edocti ac professi, siquidem dubitari poterat, eos
in Ecclesia Christiana baptizatos esse, quod usq; adeo rerum
alias in ea pervulgatarum ignari essent. IPSI VERO DIXE-
RVNT; IN IOHANNIS BAPTISMA, quasi dicant: Nos do-
ctrinā, quam Ioannes annunciabat, amplexi & suscepto bap-
tismo professi sumus. Ibi audito baptismo Ioannis, explicat
Paulus, qualis ipse fuerit, & quod ordinatus in eum finē, quo
etiā ipsi nunc Apostoli baptizent, nempe ut homines agentes
pœnitentiā in Christum credant: simul addit, id Ioannis mi-
nisteriū frustra non fuisse, nec fructu suo caruisse, sed audien-
tes ipsius prædicationē baptizatos esse in nomē Domini Iesu.
IOANNES QUIDEM, inquit, BAPTIZAVIT BAPTISMO Pœ-
NITENTIAE, h. e. ad pœnitentiam ministerio prædicationis
& baptismi homines cohortatus est, DICENS POPVLO, VT
IN EVM, QVI VENTVRVS ERAT POST IPSVM, CREDE-
RENT, HOC EST, IN CHRISTVM IESVM, QVI VERO AV-
DIERVNT, videlicet ista docentem & prædicantē Ioannem,
BAPTIZATI SVNT IN NOMEN DOMINI IESV. Agit itaq; de
baptismo qui administratus fuerit, non quū hæc diceret ipse,
sed quum ista prædicaret Ioannes. Et verba sunt non Evange-
listæ Lucæ, continuantis narrationē historicam: sed Apostoli
Pauli exponentis qualis fuerit baptismus Ioannis, & quo fru-
ctu Ioannes prædicavit. Par loquutio de eadem re apud Lu-
cam VII, 28, 29, 30. *Inter genitos ex mulieribus, ait Servator, nul-
lus est maior Propheta Joanne Baptista. Et audiens totus populus,
baptistam videl. docentem, & publicani, justificarunt Deū bap-
tizati baptismo Ioannis. Pharisei vero & legis periti consilium Dei ad-
sperserunt.* Non sane quū hæc diceret Servator populus ad
Ioannē in carcere detentū se contulit, ut ab eo baptizaretur

v. 4, 5.

H 3

quin

quin si baptizari voluisset, à præsentibus Christi discipulis ba-
 ptismus administrari potuisset, neque opus fuisset ad Ioan-
 nem abire; quanquam nec hoc verosimile est, quenquam in
 animum induxisse, ut à Christo ad Ioannem petendi bap-
 tismi ergo diuerteretur. Sed postrema illa vers. 29. & 30. itidem
 verba sunt, uti innuimus, Servatoris, exponentis qualem suc-
 cessum habuerit prædicatio Ioannis, nempe quod eam admi-
 sissent publicani, sprevisent Pharisei. Minime vero verba
 sunt peculiaria Evangelistæ Lucæ: quemadmodum neque
 hoc Actorū loco versus quintus historicæ narrationi Lucæ,
 sed sermoni Pauli deputandus est. Versus enim quartum &
 quintum divellendos non esse arguunt particulae *μὲν* & *δὲ*,
 quæ sibi mutuo respondent: Ab eo autem, qui sequitur, ver-
 sus sexto, pergit Lucas narrare, quid porro circa discipulos
 illos duodecim actum. Nempe **QUVM PAVLVVS ILLIS
 IMPOSVISSET MANVS VENIT SPIRITVS SAN-
 CTVS IN EOS, ET LOQVEBANTVR LINGVIS
 ET PROPHETABANT.** Sicut antea diximus, jacie-
 bantur tum temporis prima fundamenta Ecclesiæ Ephesinæ:
 sine dubio itaque eo fine ex ipsis quæsierat Paulus, an Spiri-
 tum sanctum accepissent, ut intelligeret, num inter eos
 essent, qui nascenti Ecclesiæ doctores præfici pos-
 sent. Nam ista erat ratio eorum temporum, ut Doctores
 Ecclesiarum, qui studio & exercitio facultatem docendi si-
 bi acquisivissent, haberi vix possent, quod temporis angustia
 diuturnitatem studij excluderet, & plurimæ passim Ecclesiæ
 nascerentur, adeoque doctoribus opus esset bene multis;
 extraordinem igitur & peculiari gratia collatum fuit, quibus
 opus erat, donum linguarum & prophetiæ, sive interpreta-
 tionis Scripturæ, atque ita & miraculo prædicationi Aposto-
 licæ fides facta, & Ecclesijs de doctoribus prospectum. Neq;
 licæ

v. 6.

dubium, quin hos jam Spiritu donatos & facultate docendi instructos ædificandæ Ephesi Ecclesiæ operam dare Paulus voluerit & iusserit. Quare non est, quod ex hoc loco colligatur, duodecim eos discipulos ab Apostolo denuo baptizatos fuisse, & propterea baptismum Ioannis à baptismo Christi diversum esse. Quin potius Paulus Ioannis baptismum cum Apostolico convenire ostendit, dum exponit, ipsum homines hortatum esse, ut crederent in Christum, & credentes baptizasse in nomen Christi. Augustinus tamen quum hæc ita non animadvertisset, in diversa est sententia: libr. de Vnit. Eccl. cap. xix. de unico baptismo contra Petilianum cap. vii, lib. ii, contra lit. Petiliani cap. xxxvii. & pluribus locis alijs.

VICESIMVM CAPVT.



ERGO VINCTVS SPIRITV
 PROFICISCOR HIERSOLYMAM,
 hoc est, Spiritu ductu & impulsu, qui animū
 meum obfirmavit, mihiq̄ue persuasit, iter
 meum è re fore Ecclesiæ. Non igitur est, quod
 dissuadeatis; neque vero sermones Prophetarum vincula &
 afflictiones mihi prædicentium contemno: sed quia inte-
 riori Spiritu adflatu me impelli, & ex usu Ecclesiæ quidquid
 mihi evenerit, fore intelligo, nullius rei habeo rationem, &
 ne quidem vitæ meæ. * OPORTET MEMINISSE VER-
 BORVM DOMINI, IPSVM DIXISSE, BEATVM EST
 DARE POTIVS, QVAM ACCIPERE. Agit Aposto-
 lus de danda & accipienda mercede sive pecunia; Se, ait, à
 nemine quidquam accepisse, sed suis manibus necessaria
 sibi

v. 22

v. 35

sibi parasse, atq; hoc suo exemplo ostendisse, quod ad eū modū oporteat suscipere infirmos, siue nondū satis confirmatos, quos alias nisi omnia, quibus offendi queant, studiose removeantur & ipsi quasi perfecta manu retineantur, in via etiam plana impingere & collabi periculum fuerit. Ista autem Domini sententia nusquam totidem verbis apud Evangelistas scripta reperitur: verum eam tota sua vita expressit Dominus, nunquam de accipiendo, sed semper de dando & benefaciendo alijs sollicitus, *Filius enim hominis non venit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret*, Matth. xx, 28. Deinde sunt similes aliæ, è quibus hanc elicere potuit Apostolus. Luc. vi, 35. *Mutuum date, nihil inde sperantes. Vers. 38. Date & dabitur vobis. xiv, 13. Cum facis epulum, voca mendicos, mancos, claudos, cæcos: Et beatus eris, quia non possunt retribuere tibi.* Denique sententia ultimo die ferenda beatos se pronuntiaturum dixit eos, qui egentibus cibum, potum, vestes dederint: contra vero damnatos, qui caritatis & beneficentiæ obliui, de accipiendo potius, quam erogando fuerint solliciti, Matth. xxv. Atq; his, quæ diximus, locis sententiam à Paulo allegatam quoad sensum haberi satis est: neque enim omnia Servatoris dicta totidem vocibus & syllabis ab Evangelistis sunt consignata: sed sufficit sensum fuisse expressum. Non igitur propter hanc sententiam ἀγγελλον aliquod Evangelium constitui necesse est.

VICESIMVM PRIMVM CAPVT.



**QVVM AVTEM SEPTEM ILLI
DIES ESSENT FINIENDI.** At infra ubi
jam Paulus Hierosolymis Casaream addu-
ctus esset, ibique causam diceret, ipse prote-
statur,

statum, non plures esse dies quam duodecim, ex quo venisset Hierosolymam, cap. xxiv, 11. Quin toridem dies exsurgunt ab adventu eius in urbem, usq; quo causam Casareæ dixit, si ex superioribus adnotentur, & inita ratione supputentur. Venit Hierosolymam, cap. xxi, 17. Sequenti die introijt ad Iacobum & Presbyteros, à quibus persuasus fuit, ut cum alijs quatuor viris sanctificaretur, vers. 18. Rursus die postero sanctificatus ingressus est templum, denuncians expletionem dierum sanctificationis, v. 26. Iterum capite xxii, 30. mentio fit diei posteri. Capite xxiii, 11. sequentis noctis, & post orti diei; uti rursus v. 31. noctis & posteri diei, quo ipso Casaream venerit Paulus. Quinq; post diebus, descendit Pontifex maximus cum senioribus, cap. xxiv, 1. Si jam altero die ab adventu accusatorum, ut verosimile est, instituta accusatio, colliguntur exacte dies duodecim. Verum si in templo propter susceptam sanctificationem septē diebus commoratus fuit, ut hic locus innuere videtur, adeoq; tumultus adversus ipsum sub finem demum septem dierum sanctificationis exortus est, ratio sibi constare nequit, & plures fuerint dies ab adventu eius in urbem, usq; quo causam dixit Casareæ, quam duodecim. Non igitur septem dies sanctificationis intelligendi sunt, sed septem dies septimanæ ultimæ ex ijs, quæ inter *δευτέραν τὴν πέντα*, quo manipulus frugum obferebatur, usque ad Pentecosten intererant. Supra enim cap. xx, 16. diserte dictum est, ideo præterita Epheso tantopere festinasse Paulum, quod in animo haberet die Pentecostes Hierosolymis esse. Neq; vero Iudæi, ex Asia, qui tumultum concitarunt, & capiendo Paulo causam præbuerunt, temere Hierosolymas venerant, sed ut etiã ipsi diem festum Pentecostes sibi agerent. Aut igitur eodē die, quo templum sanctificationis sive separationis ergo ingressus est, captus fuit, aut altero, sive certe tertio. Tum vero diem, quo Hierosolymas venit, exclusive sumi oportet, & accusationē

v.38.

institutā eodem, quo Cæsaream adductus est, die. *NONNE TV ES ÆGYPTIVS ILLE, QUI ANTE HOS DIES COMMOVISTI ET EDVXISTI IN DESERTVM QVATVOR MILLIA SICARIORVM. De hoc Aegyptio Iosephus, Antiquit. lib. xx, cap. vi, quæ adscribi merentur: *Eodem: inquit, tempore, quum videlicet Iudææ Præses esset Felix, quidam ex Ægypto venit Hierosolymas, vatem se esse professus, & plebi suadens, ut sequuta se in montem Oliveti adscenderet, qui è regione urbis ad quintum abest stadium. Illic enim visuros jussu suo cadere Hierosolymorum mœnia, ita ut per eorum ruinam aditus in civitatem pateat. Quo agnito jubet Felix milites arma sumere, stipatusq; multis equitibus & peditibus irrumpens invadit turbam seductam ab Ægyptio, quorum quadringentis occisis ducentos vivos cepit, Ægyptius ipse pugna dilapsus disparuit. Repetit hæc ipsa lib. ii, de bello Iudaico, cap. xii addit autem triginta ferme hominum millia ab impostore illo congregata fuisse. Forte quum ista ad Paulum diceret Tribunus, nondum inito conflictu fusus fugatusque erat Aegyptius: sed increbuerat, ut verosimile est, fama de conatibus ejus, & de copijs, quas non ita pridem in desertum abduxisset. Alioquin si jam evenissent, quæ narrat Iosephus, & occupatus fuisset mons Oliveti, potius hoc facinore quam quoquo alio hominem notasset & descripsisset Tribunus.*

VICESIMVM SECVNDVM
CAPVT.

v.17,18.



VENIT MIHI REVERSO HIEROSOLY-
MAM, QVVM ORAREM IN TEMPLO,
VT RAPERER EXTRA ME, ET VI-
DEREM EVM, CHRISTVM VIDELI-
CET, DICENTEM MIHI; FESTINA ET
EXI

EXI HIEROSOLYMIS, QVIA NON ACCIPIENT
 TESTIMONIUM TVVM DE ME. Multa hîc præter-
 mittit Paulus, quæ suam conversionem sequuta erant, ut
 profectioem in Arabiam, cuius ipse meminit Gal. 1, 17.
*Abij, inquit, in Arabiam, ac denuo reversus sum Damascum: de-
 inde tribus post annis redij Hierosolymam.* Duplici autem no-
 mine offendebantur Iudæi, & quod Dei foedus admissis in
 Ecclesiam gentibus profanari putarent, & quod gentes sibi
 æquari aut etiam præferri dolerent. Paulus itaque huic ma-
 lo mederi volens, ostendit se data opera Ierosolymam venisse,
 ut cum popularibus suis conceditum sibi Evangelium
 communicaret; sed à Domino spem profectus abscissam
 fuisse, ejusque mandato præter propositum & animi senten-
 tiam ad gentes transisse. Non igitur se sua sponte aut ma-
 ligne operam suam Iudæis subtraxisse, sed mandato Domini
 gentibus Evangelium annunciasse. Quin se Domino man-
 danti respondisse & opposuisse; **IPSI SCIUNT ME PER-**
TRAXISSE IN CARCEREM, ET VERBERIBVS ADFE-
CISSE PER SINGVLAS SYNAGOGAS, EOS, QVI CRE-
DEBANT IN TE, &c: quasi dicat; Ego bonâ sp̄e foveo, fore
 ut apud eos prædicatio mea fructum sit allatura, quando qui-
 dem norunt omnes, quanto zelo contra Christianos exarse-
 rim, & quantis conatibus opinionem, qua ipsi hodie imbuti
 sunt, tutatus fuerim. Vbi igitur me mutatum viderint, fie-
 ri vix potest, quin ejusmodi spectaculo commoveantur, &
 in animum inducant, non sine maxima & urgentissima esse
 causa, quod doctrinam, quam non ita pridem accerrime o-
 deram & persequebar, nunc ipse prædicem. Satis igitur
 hinc constare de suo in populares studio, & quod Ierosoly-
 mis manere maluerit, nisi secus Domino visum fuisset.

v.19.

VICESIMVM TERTIVM CAPVT.

V. 31.



MILITES RAPTVM PAVLVM DVXERVNT NOCTE ANTIPATRIDA. Antipatris in littore maris mediterranei sita medio inter Casaream & Ioppen itinere, exstructa ab Herode magno. Ioseph, lib. xvi. Antiq. cap. ix. *Oppidum exstruxit in campo, qui dicitur Capharsaban, electo ad hoc agro aquoso & plantis idoneo, amne circumfluente ipsum oppidum, & luo circumdante pulcerrimarū arborum.* Hanc à suo Patre Antipatro denominavit Antipatrida. Et lib. i. belli, cap. 16. *Patris monumentum optimo regni campo civitatem condidit, fluminum arborumq. ditissimam, eamq. Antipatridem nominavit.*

VICESIMVM QVARTVM CAPVT.



NAZARÆIS NAZARAEORVM. Nazaræi ab initio à Iudæis vocabantur, qui Christo nomen dederant, & quidem, ut videtur, per ludibrium, ab urbe Nazareth, ubi Christus ex Iosepho & Maria natus existimabatur. Ipsi autem inter sese discipulos se nominabant, qui primum Antiochiæ coeperunt dici Christiani, vide supra xi, 26. Nazaræorum nomen postea hæsit in secta quadam, de qua Epiphanius hæresi xxix: *In hoc solum, ait, à Iudæis differunt, itemq. à Christianis, quod Iudæis quidem non consentiunt, eo quod in Christum credunt: cum Christianis vero non conspirant, eo quod adhuc legi sunt obligati, & circumcissione, & Sabbato & aliis.* Addit initium sumsisse, quum discipuli imminente obsidione Hierosolymis Pellam migrarent. Sed & ubi de hac secta agere incipit, adnotat, Christianos omnes

omnes olim Nazaræos dictos fuisse: quin modico etiam tempore Ieffæos adpellatos esse, à Ieffe, patre Davidis, è cuius posteritate Maria, ex qua natus Christus. Idem Epiphanius alios quosdam Nazaræos inter Iudaismi sectas recensuit, hæres. xix. Porro Paulus coram Felice à Iudæis duorum criminum postulabatur: violatæ religionis per contemptum Legis Mosaicæ templique profanationem; & motæ seditionis. Contra respondet Paulus, se ita colere patrium Deum, ut credat omnibus, quæ in Lege & in Prophetis scripta sunt: Se in templo inventum esse sanctificatum secundum legem Moïsis, non tamen cum turba, neque cum tumultu. Negat itaq; se violare religionem, quod secta, cui se addictum esse profiteatur, legi Mosaicæ non repugnet, & ab avita veraq; religione nihil quidquam dissentiat. Atq; in eundem sensum ad Agrippam Regem infr. xxvi, 6. *Ob spem promissionis factæ à Domino patribus nostris, sto in iudiciũ vocatus. Ad quam duodecim tribus nostra sperant se deventuras.* Spem intellige conceptam de Messia, quem minime oportuerit morte detineri, sed resurgere ad vitam perpetuam & gloriam regni æterni capesendam. Item vers. 22. *Perstisti in hunc usq; diem nihil quidquam dicens extra ea, quæ Propheta ac Moïses ventura prædixerunt. Christum videlicet fuisse passurum, ac primum ex resurrectione mortuorum lucem annunciaturum huic populo & gentibus.* Nempe religio Christiana & fides de Christo in Moïse & Prophetis fundata est; quin post exhibitum Messiam gentes vocatum & ceremoniale cultum deletis urbe & templo sublatum iri Prophetæ prædixerant. Negat item se templũ profanasse, negat se seditionem concitasse. Perseverat in hac inficiatione eamq; iterat, quũ post biennium corã Porcio Festo causam diceret: *Neque, inquit, in legẽ Iudæorum, neq; in templũ, neq; in Casarem quidquam peccavi.* cap. xxv, 8. Hoc etiam capite

V. 14.

V. 18.

V. 22.

Felix, postquam cognovisset duorum, quæ diximus, criminum reum à Iudæis peragi Paulum *ampliarvit eos*, sive actionem in aliud tempus distulit & rejecit. POSTQVAM EXQVISITIVS PERNOVERO, QVAE AD VIAM ISTAM PERTINENT, inquit, QVVM TRIBVNVS LYSIAS DESCENDERIT, PERNOSCAM VESTRVM NEGOTIVM. Quum impietatis postulabatur Paulus, ut de hoc capite statuere posset, cognoscere voluit, *quæ pertinent ad viam istam*, hoc est, ad religionem, doctrinam, sive sectam, quam sibi objectam Paulus se amplecti fatebatur. Hoc enim sensu via ponitur supra vers. 14. & cap. ix, 2. xix, 9. & 23 xxii, 4. Ut autem de seditione, quam itidē actores obijciebant, sed reus simpliciter inficiabatur, certior redderetur, Tribunum Lyfiam audire voluit, & ex illo causam excitati tumultus intelligere: ut ita re utrinque cognita sententiam ferret.

VICESIMVM QVINTVM
CAPVT.

Felix homo injustus & avarus, quum pecuniam captaret, spe lucri, rem de die in diem distulit, adeoque Paulum Cæsareæ in custodia biennio detinuit: interea vero temporis urbs motibus & tumultibus agitata fuit, quum pristinis ejus incolis, qui Syrierant, cum Iudæis non conveniret. Rem ita exponit Iosephus lib. xx. Antiq. cap. 6. *Apud Cæsaream, inquit, inter Iudeos habitatores & Syros de pari jure civitatis rixa exorta est. Nam Iudei potiore conditione volebant esse, quod urbis ejus conditor Herodes rex fuerit Iudeus genere. Id Syri non inficiabantur quidem, sed agebant urbem, Turrim Stratonis dictam à principio, quo tempore nullum Iudeum habitasse inibi.* Quum controver-

fia

sia cognitione componi nequivisset, tandem ad seditionem
 & pugnam ventum fuit, quam Felix immisissis equitibus com-
 pescuit, *multisq; Judaorum casis*, ait Historicus, *plures captivos*
fecit: & multas eorum domos divitiis refertas in predam concessit
militibus. Vide etiam lib. II. belli, c. XII. Ista vero contigerunt,
 quam Cæsareæ captivus detineretur Apostolus. Gesta enim
 sunt inter tumultum Aegyptij & finem procurationis Felicis,
 ut constat ex Iosepho, in quod etiam tempus incidunt, quæ
 hîc circa Paulum gesta memorantur. Biennio autem com-
 pleto, ut est sub finem superioris capitis, successorem acce-
 pit Felix Porcium Festum. Erat Felix, ut paulo ante diceba-
 mus, homo injustus & avarus. Tacitus Annal. XII. *Felix Ju-*
daea impositus, cuncta malefacta sibi impuneratus, tanta potentia
subnixo, fratris videlicet Pallantis, qui florebat summa gratia
 Agrippinæ & Claudij Imperatoris, nec non postea Neronis.
 Histor. lib. V. *Antonius Felix, per omnem sevitiam ac libidinem*
ius regium (puta quod in Iudæam nomine Imperatorum Præ-
 ses obtinebat) *servili ingenio exercuit*. Non igitur ex rei ve-
 ritate sed ex adulatione sunt, quæ ei tribuit Tertullus supe-
 rioris capitis versu 3. Is autem quum discederet, reliquit
 Paulum in vinculis, volens inire gratiam à Iudæis, qua sane
 non abs re sibi opus esse judicabat: siquidem postquam
 successor ei datus fuit, *primores Judaorum Cæsaream incolen-*
tium Romam profecti sunt, ipsum accusaturi: dedissetq; omnino
pœnas injuriarum, quibus Iudeos adfecerat, nisi Nero eum donas-
set Pallantis fratris precibus. Verba sunt Iosephi lib. XX. Antiq.
 cap. VII. Sed neque FESTVS in causa Pauli æquum & justum
 judicem, ut par erat, se præbuit: nam etiam ipse GRATIAM
 INIRE VOLENS A IVDÆIS, ut est hoc capite, vers. 9.
 DIXIT PAVLO, VIS IEROSOLYMAM ADSCEN-
 DERE, ET ILLIC DE HIS IVDICARI APVD ME:
 * RE.

V.9.

v. 10.

*RESPONDIT AVTEM PAVLVS: AD TRIBV-
 NAL CAESARIS STO, VBI ME OPORTET IV-
 DICARI: & mox Cæsarem adpellat. Festus enim grati-
 ficari volens judæis & iudicium ampliabat, & locum iudicii
 mutare volebat. Paulus nescius non erat, quo fine ista
 fierent, nempe ut vel in itinere ex insidiis, vel in urbe per tu-
 multum trucidaretur; Festus vero excusationem in prom-
 ptu haberet, se inscio & invito cædem factam esse. Hoc
 Festi propositum erat iniquissimum: neq; enim justior est
 magistratus, qui innocentem adversariorum furori objicit
 aut exponit, quam qui sententia morti adjudicat. Ab hoc
 igitur gravamine, ut dici solet, adpellat Paulus. *Ad tribunal,*
inquit, Cæsaris Sto, hoc est, eo in loco, ubi auctoritate Cæsa-
 rea jus dicitur, & causa mea agi cœpit. In Cæsaris itaq; tutela
 sum, & ex auctoritate legum & Cæsaris debetur mihi coram
 iudicio causam dicenti adversus injurias adversariorum
 defensio. SI NIHIL EST, DE QVIBVS ISTI ME
 ACCVSANT, hoc est, si nullum obceptorum criminum
 probare possunt, NEMO ME POTEST EIS DONARE,
 sive libidini eorum permittere. Quandoquidem igitur hoc
 agi intelligo, ut, privatus tutela, quæ mihi ad tribunal Cæsa-
 ris stanti debetur, Iudæis doner, sive insidiis & crudelitati
 eorum exponar, ob hoc gravamen, quo à iudice inferio-
 re adficior, ut civis Romanus, cui jus provocandi est per-
 missum, ipsum Cæsarem adpello.

VICESIMVM SEXTVM CAPVT

præteritur.

VICE-

VICESIMVM SEPTIMVM
CAPVT.



AVIGIO ADRAMITTENO.

Adramittium AEolidis, quæ Mysia antedicebatur, celebris fuit civitas: Inde sinus, qui prope ipsam & Mitylenen, Adramittenus dicitur. Vide Plin. libr. v, cap. 30. Strabonem

v. 2.

lib. xiii. Ptol. lib. v, cap. 2. SVBLEGIMVS CRETAM IVXTA SALMONEM. Salmonium orientale Cretæ promontorium Straboni lib. ii. & Ptol. lib. iii, cap. 17.

v. 7.

QVVM IAM ETIAM IEIVNIUM PRAETERISSET.

v. 9.

Intelligit solenne Iudæorum jejunium in festo expiationis, de quo Levit, xxiii, 27. Inibat die decimo mensis septimi. Instabat itaque hyems, & recte monet Paulus, navigationem in posterum fore periculosam. * Ἄρξιντες Ἄσσον παρελέγοντο τὴν κρήνην.

v. 13.

Vulgata vertit immani errore, quem etiam constructio non admittit: *quum sustulissent de Asson, legerunt Cretam.* Assi mentio fit supra cap. xx, 13. Assum

urbs Troadis, Ptol. lib. v, cap. 2. Assos & Apollonia dicta Plinio, lib. v, cap. 30. At nulla hic in littoribus Cretæ, unde ipsi solvunt Assus reperitur. Non itaque urbis nomen est, sed adverbium idem notans, quod *protinus*, ut vertendum sit: *Solventes protinus praterlegerunt Cretam.*

v. 16.

INSVLA QVAE VOCATUR CLAVDA, Vicina est Cretæ. Claudus, Ptol. lib. iii, cap. 17. Gaudos, Plin. lib. iv, cap. 72.

QVVM IACTAREMVR IN ADRIA. Iactabantur in pelago, quod adluit orientale latus Siciliae, & in quo insula Melita, quæ hodie Malta. Hoc autem etiam ipsum ad mare Adriaticum aliquando referebatur, quum Ptolomæus di-

v. 27.

K

diserte

diserte orientale latus Siciliae in mari Adriatico ponat, lib. III, cap. 7. Non enim tam stricta semper fuit acceptio maris Adriatici, ut non nisi superum, quod hodie Golfo di Venetia dicitur, denotaret. Nam etiam Strabo lib. II, *Jonius*, inquit, *sinus pars est maris, quod hodie Adria dicitur.* Et lib. VII. *Montes Ceraunij, qui videlicet in Epiro, initium sunt faucium sinus Jonici & Adriatici: fauces vero utriusque sunt communes.* Differentia vero est, quod primæ seu exteriori maris parti nomen Ionij; Adriæ autem nomen interiori usque ad intimum sinus recessum, & hodie universo isti mari tribuitur. **DIES HIC EST DECIMVS QVARTVS, EX QVO EXPECTANTES IEIVNI PERMANETIS.** Hyperbole est, quod magnitudine periculorum & metu mortis perterriti, nunquam per totum illud tempus pro more essent satiati, sed ut in extremo periculo constitutis evenire solet, ad cibum semper nauseassent, & semetipsos insolita abstinencia & inedia fatigassent. **NULLIVS VESTRVM CAPILLVS EX CAPITE CADET,** hoc est, salvi & incolumes eritis, ut I. Reg. I, 52. *Non cadet de capillis ejus in terram.* Item I. Sam. XIV, 45. II. Sam. XIV, II. Luc XXI, 18

V. 33.

V. 34.

VICESIMVM OCTAVVM CAPVT.



Cαργήμων Διοσκύρεως. Insigne navis erant gemini Iovis filij, Castor & Pollux. *Παργήμων* sive signum navis in prora erat, atque inde navi nomen. *Centauro invehitur magna*, ait Virgilius V, *Æneid.* nempe quia Centaurus *αργήμων*. Ita Pristis, Chimæra, Scylla, eodem loci navium nomina sunt ab insignibus earum. Tutela vero navis numen
sive

sive Idolum, cui navem commendatam volebant. Vade
Silius lib. xiv.

Tutelaq; Deum fluitant.

In puppi vero locum habebant. Indicium facit Valerius
Flaccus, qui in Argonauticis Medeam ad genua Minervæ,
quæ videlicet tutela navis erat, procumbentem in puppi
collocat:

*Puppe procul summa, ait, vigilis post terga magistri
Hæserat aurata genibus Medea Minerva.*

Et Virgilius AEneid, x.


— Aurato fulgebat Apolline puppis.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





153 155

X2615745


ULB Halle 3
006 843 611



K

VD77







5.
 CALIXTI
 ET IN ACAD.
 MARIII PROF.
 IN
 A A P O.
 ORVM.
 LITTERALIS,
 lim, quum publice
 r, excipi potuit.
 MVM EDITA.



VIGAE,
 NDREAE DVNCKERI.
 DC. LIV,

